

15
DISSERTATIO INAUGURALIS

MEDICO - CHIRURGICA

S I S T E N S

HERNIAM INGUINALEM

E T

CRURALEM INCARCERATAM,

QUAM ANNUENTE

MAGNIFICO DOMINO

PRAESIDE ET DIRECTORE

A C

INCLYTA FACULTATE MEDICA

REG. SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNGARICAE

PRO GRADU

DOCTORIS MEDICINAE

OBTINENDO CONCINNAVIT

JOANNES NEP. PISKOVICH

HUNGARUS LUGOSINO-KRASSOVIENSIS

CHIRURGIAE DOCTOR ET PROFESSORIS CHIRURGIAE
PRACTICAE h. t. ASSISTENS.

Theses adnexae publice defendentur in Palatio Universitatis
maiore, die Octobris 1832.

B U D A E,

TYPIS TYPOGR. REGIAE UNIVERSITATIS HUNGARICAE.

CLARISSIMO AC SPECTABILI

DOMINO

IGNATIO A STAHLY

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE, MEDICINAE AC CHIRURGIAE
DOCTORI, ANATOMIAE ELEMENTARIS PROFESSORI P. O.
CLINICI CHIRURGICI H. T. PRAEFECTO, II. COMITAT.
ALBENSIS, KRASSOVIENSIS, NEOGRADIENSIS ET TOLNENSIS
TABULAE IUDICLARIAE ASSESSORI, FACULTATIS PHIL.
MEMBRO AC REGIAE SCIENTIARUM UNIVERSITATIS HUNG.
RECTORI MAGNIFICO EMERITO.

VIRO
SCIENTIA, ARTE, EXPERIENTIA
NEC NON HUMANITATE
AEQUE INSIGNI
IN TISSERAM
CULTUS PII, ANIMIQUE GRATI
HAS LABORUM SUORUM PRIMITIAS
SEQUETOTUM
D. D. D.

devinctissimus
Auctor.

Perspicuitatis necessariae causa mihi non abs re videhatur *anatomicam regionis inguinum in — et externae descriptionem* praemittere; nam absque accurata harum partium cognitione nec singulum herniarum genus rite discerni, decursus comprehendendi, therapia rationalis institui, nec iubente tandem necessitate operatio ab artis perito honesta animi tranquillitate et securitate in aegrorum salutem institui potest.

Regio inguinum in — et externa.

Maxima pars aponeuroseos musculi obliqui externi abdominis linea albae inseritur, infima vero a spina anteriore superiore ossis coxarum oblique deorsum et introrsum symphysis ossium pubis versus descendit, et *ligamentum inguinale anterius seu extnum* (*I. C. Hesselbach Disquisitiones anatomico-pathologicae de ortu et progressu herniarum etc. p. 3. tabula I. a a. tab. II. a a*) dicitur. Tenuis pars aponeurosis lacerti quinti musculi obliqui ext. abdominis cum ligamenti huius fibris superioribus nectitur. Fibrae hae tendinosae ita nexae ad symphysim ossium pubis proprius accedentes in duas sinduntur portiones, quae *crura*, seu *columnae* annuli inguinalis antici audiunt. Fibrae internae longiores et teneriores, *crus internum seu superius*, (*Hesselbach l. c. tab. I. et II. b.*) rami horizontalis ossis pubis tuberi seu spinae adnectuntur; fibrae vero externae breviores sed firmiores, *crus extnum seu inferius*, (*Hesselbach l. c. tab. I. et II. a*) retrosum sursumque revolutae cristam ossis pubis occupant, et cum ligamento inguinali interno coniunctae, sulcum constituunt, supra quem funiculus spermaticus in sexu masculino, in foeminino ligamentum uteri rotundum decurrit. Inter duo haec crura *rima fere triangularis* relinquuntur introrsum oblique descendens, amplior apud mares, quam

foeminas, quae *annulus inguinalis seu abdominalis anterior* (*Hesselbach l. c. tab. I. a. b. et tab. II. a. b.*) dicitur. Basis huius trianguli est ramus horizontalis ossis pubis, latera utrumque crus, locus vero disiunctionis fibrarum constituit apicem eiusdem, qui ob fibras transversas hic crura nectentes arcuatus est. Situs vero trianguli is est, ut basis eiusdem respectu apicis deorsum introrsumque situetur, latera vero ab apice oblique deorsum introrsumque ad basim tendant.

Aponeurosis musculi abdominis obliqui interni seu ascendentis in lamellam anteriorem et posteriorem dividitur: anterior cum musculi abdominis obliqui externi aponeurosi, posterior vero cum musculo abdominis transverso copulatur; ambae autem lamellae rectum abdominis amplexantur, ac lineae albae dein inseruntur. Huius musculi sc. obliqui abdominis interni fasciculi infimi carnei simul et tenerrimi supra funiculum spermaticum, qui eo loco, ubi arteria cruralis infra ligamentum Poupartii transit, e cavo abdominis ascendens canalem inguinalem ingreditur, introrsum et deorsum diriguntur, ac mox pone funiculum spermaticum ossis pubis horizontalem ramum versus oblique introrsum descendentes ad superiorem eius marginem fibris brevibus tendinosis figuntur, sique parietem posteriorem canalis inguinalis introrsum sursumque efficiunt. Musculus abdominis obliquus internus facie sua anteriore obliquo abdominis externo obtegitur, excepto illo loco, ubi huius pars inferior tendinosa annulum inguinale anteriorem effectura in duo crura disiungitur. Haec pars obliqui abdominis interni pone annulum inguinale anteriorem, inter eiusdem crura conspicienda, sicut partem *debilissimam* parietis abdominalis anterioris et vocatur *planum anterioris annuli inguinalis crurale* (*Hesselb. l. c. p. 4. tab. I. c. tab. II. c.*) seu *superficies intercruralis annuli inguinalis anterioris* (*Hesselb. Die Lehre von den Eingeweidebrüchen Tab. I. p. 46.*) Est vero haec superficies ob ortum herniae inguinalis internae multum dignissima.

Pone infimam partem musculi obliqui abdominis interni sub tela cellulosa tenuis sed firma, semipellucida, maximeque elastica conspicitur membrana; quam *HESSELBACH ligamentum inguinale internum s. posterius* (*l. c. p. 10. et in alio oper. p. 52.*), *COOPER* vero *fasciam transversalem* vocavit. — Fascia haec in crista ossis pubis pro-

xime pone fasciculos tenues musculi abdominis obliqui interni initium summens, fibris subtilioribus ex parte etiam crassioribus componitur, quae ad directionem ligamenti inguinalis externi oblique extrorsum sursumque vasa cruralia, quae fasciculis subtilioribus circumvolvit, transeunt; nunc divergendo in superficie posteriore musculi abdominis obliqui interni et transversi, cum horum musculorum aponeurosi intime coalescunt. Qua fibrae fasciae huius vasa cruralia oblique extrorsum transcendent, mox a se invicem recedere coguntur, quippe funiculum spermaticum vel ligamentum uteri rotundum transmissurae *rimam oblongam* ex obliquo sitam, *annulum inguinalem posteriorem* (Hesselb. p. 12. Tab. III. d. e. Tab. IV. d. e.) dictam, inter se relinquunt. In hoc annulo inguinali posteriore Hesselbach aequa, ut in annulo inguinali anteriore duo distinguit *crura sursum extrorsumque divaricantia*, alterum scilicet *externum* (l. c. Tab. III. e.) alterum *internum* (Tab. III. d.) quae sursum in posteriore musculi abdominis obliqui interni superficie desinunt, deorsum vero in angustum areum uniuntur.

Inter ambo haec crura exigua restat et plana superficies, fibris obliqui abdominis interni formata, et continuatione ligamenti inguinalis interni subtiliore obtecta, quam HESSELBACH *planum posterioris annuli inguinalis crurale* (l. c. Tab. III. f. et Tab. IV. f.) vel et *superficiem intercruralem annuli inguinalis posterioris* (Die Lehre von den etc. p. 54.) vocat. — Annulus inguinalis anterior magis antrorsum et profundius locatur posteriore; finis huius inferior cum superiore annuli inguinalis anterioris fine eandem lineam horizontalem agnoscit.

Ab annulo inguinali posteriore ad anteriores usque, descendentes funiculi spermatici causa, *canalis* unum fere et dimidium pollicem longus oritur, qui deorsum ligamentis inguinalibus externo nempe et interno coniunctis clausus *canalis inguinalis* (Hesselb. Tab. V. a. a. b. e. f.) nuncupatur. Canalis huius *paries anterior* ligamento inguinali externo et musculi abdominis obliqui interni illa particula, quam superficiem intercruralem annuli inguinalis posterioris diximus; *posterior* vero introrsum sursumque tenellis musculi abdominis obliqui interni fasciculis carneis, deorsum extrorsumque ligamento inguinali interno efficitur. Anterior huius canalis *paries extrorsum*, posterior autem *introrsum longior*: pars posterioris parietis

longior superficiem intercruralem annuli inguinalis anterioris exhibet, uti longior anterioris parietis pars superficiem intercruralem annuli inguinalis posterioris representat. *Funiculus spermaticus* textu celluloso et musculo cremaстere circumdatus per annulum inguinaleм posterioreм canalem inguinaleм ingreditur, in quo oblique introrsum deorsum et antrorsum decurrens, per annulum inguinaleм anteriorem ex eodem sub angulo obtuso egressus in scrotum descendit. In sexu sequiore in canali inguinali ligamentum uteri rotundum continetur.

Hernia, in qua intestina aut alia pars visceris eiusdem cavo abdominis contenti, secundum nunc descriptum decursum funiculi spermatici prolabuntur, dicitur *inguinalis externa*. Dum vero peritonaeum cum intestinis retropositis in superficie interrurali annuli inguinalis anterioris, parte parietis abdominalis anterioris debilissima, a parte postica antrorum recta inter fibras ligamenti inguinaleм interni et fasciculos musculi abdominalis obliqui interni carneos protruditur, et ad latus funiculi spermatici internum per annulum inguinaleм anteriorem prolabitur, *hernia inguinalis* haec vocatur tunc *interna* (*Hesselb. Tab. III. g. Tab. IV. l. Tab. X. a. Tab. XI. a.*) et quidem ideo, quod mediae corporis lineae, priore, sit vicinior.

Regio abdominis cruralis in - et externa.

Nomine *ligamenti Poupartii* seu *Fallopii* intelligitur ea maxime extrorsum sita pars aponeuroseos musculi obliqui abdominalis externi, quae a spina ilei anteriore superiore orta cristae ossis pubis affigitur. Spatium infra hoc ligamentum, nempe: sinum, inter spinam ilei anteriorem superiorem et inferiorem, item inter hanc et eminentiam ileopectineam situm musculus iliacus internus et psoas maior occupant; sinui vero inter eminentiam ileopectineam et partem infimam ligamenti inguinalis externi superiacent vasa cruralia, nervus cruralis et ganglia lymphatica.

Fascia lata femoris per integrum suam longitudinem cum ligamento inguinali externo coalescit; quam vero

plura insuper vasa supra fasciam latam ad ingnen profundiis penetrantia et abdomen versus accedentia sint disposita, necessarium fuit, ut transitus gratia quaedam ad fasciam latam relinquatur *fissura*, quin tamen ipsius fasciae, musculos et vasorum sanguiferorum truncos velut protegentis, nexus interruiperetur. Fissura haec in adultis quindecim circiter lineis longa et obliqua vocatur secundum HESSELWACH annulus cruralis anterior (l. c. Tab. I. d. e. e. f.) vel lacuna pro vasis cruralibus externa. (*Die Lehre von ect.* p. 41.), secundum LAVRENCE excavatio ovalis. (*Von den Brüchen p. 474.*) Margo huius annuli semilunaris est, quem A. BURNS processum falciformem (LAVRENCE l. c. p. 474.) appellavit.

Annulus hic duo habet cornua introrsum vergentia, cornu inferius (Hesselb. Tab. I. e. e.) magis introrsum sursumque curvatur, et super musculum pectineum in continuationem fasciae latae desinit; cornu vero superius (Hesselb. Tab. I. f.) minus curvum sub crure annuli inguinalis anterioris externo reconditur. Annulus hic cruralis anterior in foemina amplior inservit transmittendae venae saphenae magnae in cavum abdominis; haec enim supra cornu annuli inferius ascensit, et venae crurali immittitur; denique per eundem annulum omnia vix non vasa lymphatica extremitatis inferioris superficialia cavum abdominis subeunt. Spatium inter ligamenta inguinum coniuncta et os ilei maxima ex parte, ut iam dictum est, musculus iliacus internus et psoas maior explent, et per coniunctionem fasciae iliaceae posterioris cum ligamento inguinali posteriore, et huius cum ligamento inguinali anteriore cavum abdominis hic loci absque interventu peritonaei firmiter clauditur. Verum proprius symphysi ossium pubis inter ligamenta inguinum coniuncta et ramum ossis pubis horizontalem *rima oblongo-rotunda transversaque obviam* est, quae annulus cruralis posterior (Hesselb. *Die Lehre ect.* p. 58.) seu lacuna pro vasis cruralibus interna (Hesselb. Tab. IV. h. et Tab. V. h.) dicitur. Annuli huius dimidiā partem externam arteria et vena cruralis una cum nervo crurali occupant; media est arteria cruralis, cui introrsum vena cruralis adiacet, nervo crurali extrorsum paulisper sito: dimidiā annuli partem internam textus cellulosus laxus atque adiposus explet, cui introrsum adhaeret peritonaeum ita, ut hoc loco cavum abdominis solo peritonaeo claudatur; proin vi cuique facilime cedit.

Duo vero huius annuli distinguuntur margines, qui inter se committantur; *anticum marginem ambo ligamenta inguinalia praeprimis externum efformat*, *posticum vero horizontalis ossis pubis ramus efficit*. *Annulus cruralis posterior foemineus pollicem fere longitudine aequat*, *masculus dimidio brevior*, pauloque ille latior invenitur, et haec est causa, quod hernia cruralis sexui foemineo solemnior sit. *Annulus cruralis posterior cum anteriore interventu canalis brevis descendens et laxe textu celluloso facti communicat*, qui *canalis cruralis* (Hesselb. *Die Lehre etc.* p. 60.) audit; in quo *duo distinguuntur paries* longitudine ad invicem discipantes. *Posterior paries* musculo pectineo incumbens duobus trientibus anteriore longior, a cornu inferiore annuli cruralis anterioris ad marginem posteriorem annuli cruralis postici (ramum horizontalem ossis pubis) extenditur; *anterior vero paries* unum solum trientem longus a cornu superiore annuli cruralis anterioris proprie formatus cum ligamento inguinali interno concrescit. —

Herniae crurales secundum HESSELBACH etiam dividuntur in externas et internas; haec dicitur, si contenta abdominis per annulum cruralem posteriorem canalem cruralem ingressa, per annulum cruralem anteriorem prolabuntur; illa vero, dum superior et tenuior pars fasciae iliaca posterioris una cum superiacente peritonaeo et iam uno aliove viscere cavi abdominis infra ligamentum inguinale externum e cavo abdominis infra et intra fasciam iliacam anteriorem protruditur. (Omnium rarissima)

Situs arteriae epigastricae inferioris.

Omnium arteriarum in regione inguinali et crurali interna relate ad herniotomiam memoratu dignissima est *arteria epigastrica inferior* (Hesselb. *Tab. VI. h.* et *Tab. IV. i.* item A. K. Hesselbach. *Die sicherste Art des Bruch-schnittes Tab. I. 3. 3.*) ob gravissimam et plerumque lethalem eius laesionem, quae sub operatione minus recte instituta locum habet. Oritur ex arteria crurali huiusque plerumque latere interiore, antequam arteria cruralis ad ligamentum inguinale internum pertigerit, atque sub angulo acutissimo ad hoc usque ligamentum descendit, dein antrorum sursumque inflexa, prope crus annuli inguina-

lis postici internum super ligamento inguinali interno oblique introrsum ascendit ad superficiem posteriorem musculi abdominis recti, in qua plures ramos dimittens cum arteria epigastrica superiore unitur. Comitem hac in via ad latus internum venam epigastricam inferiorem habet.

Huius arteriae decursus raras patitur varietates. Interdum ex arteria obturatoria dimidii pollicis spatio ab arteria crurali remota nascitur, sed exigua haec diversitas nullum eius decursui damnum parit. Deviationum arterie epigastricae plures casus observavit et adnotavit Hesselbach (*Disquis. an. path.* p. 16. et *Die Lehre von den etc.* p. 66—68.) — Alia arteria aequa notata digna est arteria obturatoria (Hesselb. *Die sicherste etc. Tab. I. 4. 4. et Tab. III. 3. 3.*) De huius arteriae origine normali anatomi zelosissimi inter se non consentiunt. JULES CLOQUET (*Recherches anatomiques sur les Hernies de l'abdomen par Jules Cloquet à Paris 1817.*) eam frequentius ex hypogastrica, Hesselbach vero ex epigastrica inferiore ori-ri observavit. (Hesselbach *Die sicherste Art etc.* p. 27.) In primo casu hunc observat decursum: ex hypogastrica orta iufra nervum obturatorium in superficie interna musculi obturatorii antrorum decurrens et dimisso ramo pudendali, per foramen ovale inter ramum horizontalem ossis pubis et musculum obturatorium e cavo abdominis egreditur. Attingit itaque paucis et tenuissimis ramusculis annulum inguinale posteriore, hinc sub herniotomia vix periculum parit. — Dum vero ex epigastrica inferiore originem sumit, sequenti ratione decurrere consuevit: sumto penes annulum inguinale posteriore initio iuxta marginem anteriorem annuli cruralis posterioris decurrit, et supra ramum horizontalem ossis pubis deorsum infle-ctitur ad foramen ovale, per quod antequam e cavo abdominis egrediatur ramum pudendalem inferiorem dimittit, qui versus symphysis ossium pubis tendens, cum socio ramo lateris oppositi connectitur. Periculó plenus vero huius arteriae ortus est ex arteria epigastrica inferiore, si haec extra cavum abdominis ex arteria crurali oriatur. In hoc enim casu proxime pone cornu superius annuli cruralis anterioris iacet, et serius sub decursu infra ligamen-tum inguinale internum reconditur.

Situs funiculi spermatici, testis et arteriae epigastricae inferioris in herniis inguinalibus.

Et quidem

In hernia inguinali externa:

Funiculus spermaticus secundum parietem posteriorem sacci herniosi decurrit; testis vero rarissime infra fundum sacci herniosi deprimitur, saepissime eiusdem fundo paululum retrorsum subiectus reperitur. In crescente autem in maius volumen *hernia* partes *funiculum spermaticum* constituentes ab invicem diducuntur ita, ut venae spermaticae extrorsum, vas semen deferens introrsum, et arteria spermatica in medio disponantur. Ut nos de situ *funiculi spermatici* convincamus, oportet tantisper testem attrahere, et posteriorem parietem sacci herniosi digitis explorare, ubi, praesente *hernia* inguinali externa, mox *funiculus spermaticus* invenitur. *Funiculi spermatici* et *testis* situs, item obliqua tumoris directio, docente Hesselbach, sunt duo praecipua signa ad quodvis *herniarum inguinalium* genus secure dignoscendum.

Arteria epigastrica inferior ubi a decursu normali non deflectit, lateri interno sacci herniosi colli semper adiacet. Quae principio pone sacci hernialis collum introrsum vergens, continuo in eiusdem latere interno ascendit. Ubi vero solennem sibi derelinquit decursum, semper magis introrsum disponitur.

In hernia inguinali interna:

Funiculus spermaticus in latere externo sacci hernialis collocatur. Vasa eundem constituentia in crescente *herniae* volumine aequa se removentur ita, ut in latere externo vasa spermatica, sanguifera antrorsum et vas semen deferens retrorsum collocentur. *Testis* vero semper infra fundum sacci hernialis reperitur.

Arteria epigastrica inferior ratione consveta oriens in latere colli sacci hernialis externo oblique introrsum decurrit, dum vero lusus ab hac origine deflectit, in

latere colli sacci hernialis interno ascendere consuevit, et periculum sub herniotomia gravissimum parit; nam facta incisione introrsum et sursum semper laedetur.

Situs arteriae epigastricae inferioris et obturatoriae in hernia crurali interna.

Harum arteriarum situs in hernia crurali aequa pa-
rum, ac in herniis inguinalibus ullis signis cognosci potest.
Ultra sexcentis observationibus edocet Hesselbach asserit
decursum harum arteriarum in inguine interno, praesente
hernia crurali saepius periculosorem esse, quam minus
talem. In pluribus enim casibus arteria obturatoria, vel
ex epigastrica inf. oriundus *ramus* inter has duas arterias
communicans ad marginem anteriorem annuli cruralis po-
sterioris decurrens, anticum et intimum colli sacci her-
nialis cruralis interni latus amplectitur ita, ut eius laesio
evitari non possit, si incisio a post antorsum perficiatur.

Situs arteriae circumflexae ilei in hernia crurali externa.

Arteria haec e regione epigastricae inferioris e crura-
li orta, pone infimas fibras fasciae iliaca posterioris se-
cundum coniunctionem harum cum ligamento inguinali in-
terno sursum versus spinam ilei anteriorem superiorem
tendit. Collocatur itaque semper *ante* collum sacci her-
niae cruralis externae. Dum itaque hernia per fibras fa-
sciae iliaca posterioris ruptas prolabitur, margo supe-
rior huius aperturae partes prolapsas instar annuli cing-
gens proxime arteriae circumflexae ilei adiacet; quia
margo hic ob distensionem, quam a partibus prolapsis
passus est, cum ostio ventrali herniae penitus coaluit.
Sequente proin incarceratione, nisi incisio ab ante postro-
sum fiat, laesio arteriae vitari non potest.

*Incarceratio dicitur ea immobilitatis herniosae spe-
cies, in qua communicatio inter partes abdomine contentas
et herniam per strangulationem partium elapsarum sub-
lata est.*

Symptomata incarcerationis.

*Symptomata incarcerationis herniosae pro diversa huius indole, partisque egressae natura variant; hinc iuvabit primo ea, quae in universum in omni incarcerationis genere observantur, adducere, quibus expositis facilior symptomatum singulae incarcerationis naturae proprietatum diindicatio habebitur. In universum haec observantur: impossibilitas tumorem herniosum manus ope reponendi, impeditus excrementorum et flatuum transitus, unde obstipatio alvi pertinacissima; * circuli humorum in parte elapsa suppressio, primo in venis et vasis lymphaticis, deinde in arteriis et nervis; hinc tumor herniosus sensim volumine increvit, antea indolens attactu evadit dolorificus, supervenit mox dolor tensivus in regione inguinum, dolores de annulo inguinali aut crurali sensim in abdomen progredientes, sub tussi, situ erecto, attactu incrementales, tormentina, sensus anxietatis distinctissimus, specifica linimentorum faciei conformatio, verbis haud exprimenda, se manifestans, in primis in regione epigastrica, ac si aeger hic fune constringeretur, qui cum morbi incremento aequali passu increvit, (symptoma magnae dignitatis) nausea, vomitus ** omnium adsumtorum supra sedem incarcerationis contentorum, chylosus, biliosus, tandem stercorosus, inter minora minoraque semper intervalla recrudescens; obstipatio pertinacissima, excepta excremen-*

*) Hoc symptoma non in omni incarceratione observare licet; ubi scilicet pars tantum diametri intestini strangulatione detinetur, saepe alvi excretio libera contingit, quin ideo morbo de periculo quidpiam dematur. Ita meminit cel. *Morgagni in opere de causis et sedibus m. ep. 34. art. 15.* unius casus, in quo parte tantum totius diametri intestini incarcerateda alvus excernebatur et tamen mors subsecuta fuit. Imo experientia constat, in hernia mere omentali incarcerateda alvum pertinacissime obstrui posse; quam tamen obstructionem, ut symptoma enteritidis per incarcerationem induetae, considerare oportet.

**) Consideratio structurae valvulae Bauchini sive Coeci facilis in errorē inducere potest, ut regressum foecum ex intestinis crassis in tenuia negemus; sed observationes copiosae docuere, valvulam hanc nequaquam impedimentum invincibile constituere. „*Probatissimi auctores hoc observarunt, et ipse manifeste vidi,*“ dicit Haller. *Heberden adducit casum herniae incarceratedae, ubi clyisma vomitu electum erat, additque se hoc in ileo saepe observasse.* *V Medical Transactions Vol. II. p. 514. — De Haen ratio medendi Tom. II.* idem se observasse commemorat.

torum infra strangulationem residentium excretionem; febris inflammatoria, pulsu tamen ut plurimum parvo et contracto, phlogosi externum quoque tumorem corripiens; morbo tandem ad acme properante meteorismus, singultus, gangraena ut plurimum partium solum incarceratarum, frigus extremitatum, sudor viscidus, symptomata nervosa ac tandem mors, quae ad strangulationis gradum, indolem, aegri aetatem, constitutionem etc. iam paucis horis, iam pluribus hebdomadibus praeterlapsis sequitur. In casibus solum rarissimis accidit, ut, aegri vita salvata, tumor herniosus gangraena correptus et a reliquo organismo separatus fistulam stercoraceam aut anum artificialem reliquerit, aut quod adhuc rarius, enram radicalem induxit.

Incarceratio herniae *omentalis* in universum mitioribus comitatur symptomatibus, minus, lentiusque ominosis, quam herniae intestinalis; saepissime nulla obstipatio, vel si locum habeat, alvus enematibus et purgantibus plerumque mox resaratur; nec vomitus stercoreus adest, symptomata situ trunci ad anteriora inclinato levare solent. Singultus, qui saepe cum continua nausea, quin vomitus sequatur, comparet, secundum. LAWRENCE est symptomata ventriculi per consensum gravius affecti. In casibus rariis pars omenti incarcerata gangraena prehensa, naturae viribus a reliquo organismo separatur, et residua pars cum apertura concrescit. Interdum tamen hernia *omentalis* incarcerata, forsitan ob peculiarem partis affectae vel totius corporis sensibilitatem et irritabilitatem, omnia incarcerationis intestinalis symptomata, ipsamque mortem induxisse, experientia constat.

Symptomata haec pro diverso incarcerationis genio maxime notabilem subeunt differentiam; huic enim therapia omnis innititur, et absque huius recta diagnosi vix idonea auxilia adhiberi possunt. Est autem incarcerationis respectu 1-mo vel *inflammatoria* seu *acuta*, 2-do vel *spasmodica*, 3-tio vel denique *chronica*.

a) INCARCERATIO ACUTA SEU INFLAMMATORIA OCCURRIT plerumque in subiectis iuvenibus, robustis, plethoricis, dum hernia post maiorem virium adstrictionem, lapsum ex alto, vehementiorem abdominis compressionem subito prolabitur, imprimis si foramina nativa in regione inguinum angusta, extusionis minus-capacia, per partes prolabentes extensa cito contrahuntur; non secus etiam dum in his subiectis hernia mobilis bracherio munita per actio-

nem causarum ante expositarum propellitur et incarcera-
tur. Volumen herniae est plerumque exiguum vel me-
diocre.

Symptomata hanc incarcerationem excipientia subito
insequuntur, et celerrime decurrunt. Aeger sub ipso in-
carcerationis actu in regione inguinum vehementem percip-
it dolorem, tumor exortus est tensus, mox dolorificus,
attactus impatiens, integumenta communia eidem super-
iacentia saepe rubore perfunduntur, dolores hinc in ab-
domen, quod intumescit, propagati pressione moderata
augentur, obstipatio pertinacissima, flatuum transitus im-
peditus; phlogosi intestinorum ventriculo communicata
accedit nausea, vomitus molestus et frequens, quo in prin-
cipio contenta ventriculi, tardius et intestinorum eliciuntur;
pulsus contractus, frequens; respiratio citata, bre-
vis, inspiratio dolorifica; symptomata febris inflammatoriae
intenduntur, associat se his singultus, facies aegri flave-
scenti colore suffunditur, lingua exsiccatur, vel crusta sic-
ca tegitur, sitis ardens, ast polulenta hausta vix non ipso
assumptionis momento regurgitantur, et strictura perdurante
mox gangraena, mortis instantis signum in conspectum ve-
nit: in hernia scilicet volumine aducta omnis concentra-
tur dolor, pulsus increvit frequentia, parvitate, inter-
mittit; tumor herniosus evadit minus tensus, flaccescit,
sub pressione eiusdem crepitatio percipitur, integumenta
communia eundem obtentitia profunde rubro colore no-
tata livescunt, collum et pectus sudore viscido madescunt,
abdomen collabitur, dolores immittuntur, tandem suffla-
minantur, vomitu quoque cessante continuat singultus;
debilitas increvit, accedunt saepe spasmi, convulsiones,
subinde excretio foecum foetidissima ac tandem sub delirio
non raro svavi mors. Non desunt tamen et exempla licet
rarissima, ubi gangraena tumoream herniosum prehendens
inducta partis gangraenosae separatione vitae aegri peper-
cit ita, ut saepius fistulam stercoram aut anum artifia-
lem, rarius curam radicalem induceret. Symptomata huius
incarcerationis herniosae speciei decurrunt tanta vehemen-
tia et celeritate, ut aegrum spatio 24, imo subinde et pau-
ciorum horarum de medio tollant. Characterisatur huius
incarcerationis genius symptomatum ortu post incarcerationem celerrimo, eorum vehementia continuo absque ulla re-
missione crescente et decursu rapidissimo.

b) INCARCERATIONEM SPASTICAM SEU SPASMODICAM pri-
mus ut propriam speciem distinxit RICHTER in opere suo
classico: *Abhandlung von den Brüchen, Göttingen, 1778.*
Lawrence (in opere cit) viri expertissimi sententiam ever-
tere studuit asserendo spasmodicam incarcerationem mini-
me sui generis esse, sed singularem inflammatoriae modi-
ficationem constituere, quae per propriam individualem
aegri constitutionem inducitur. Hoc non obstante viri alii
aeque experti CALISSEN, LANGENBEK, COOPER, CHELIUS an-
tispasmodicorum in hac incarceratione salutarem effectum
videntes, eam pro distinctae indolis incarceratione habere
non dubitant. Sedem spasmi secundum *Langenbek* summa-
cum probabilitate musculi abdominalis interni fasciculi
carnei, tenelli, canalis inguinalis posteriorem maxima ex
parte parietem efformantes et sphincteris instar annulum
inguinale circumdantes, constituunt. Signa huius incar-
cerationis prioribus multum analoga maxime desumuntur
ex *inconstantia symptomatum*, eorum nempe remissione,
exacerbatione, intermissione; aucta deinde vehementia re-
crudescientium. In principio phlogoseos nulla adsunt signa,
tumor herniosus etsi tensus, indolens tamen est, sic et
abdomen, alvis obstipa, vomitus ut plurimum solum post
assumta potulenta vel alimenta, pulsus parvus, contra-
ctus; demum accedunt symptomata inflammatoria, quae ta-
men minus cito periculosa evadunt et lethalia. Accurata
consideratio constitutionis individualis aegri et causarum
excitantium diagnosi multum lucis fenerat. Vix enim non
semper haec incarcerationis species observatur in subiectis
adniodum sensibilibus, viris hypochondriacis, foeminis
hystericis, quin potentia quaedam nocens vehementior
praecessisset; sufficit subinde refrigerium, in primis pedum,
effusiones biliosae in primis viis, indigestiones, dolores
colici, vermes vel in abdomen, vel in intestino prolapsus
etc. Characterisatur haec incarcerationis species *sympto-
matum inconstantia*.

c.). *Incarceratio chronica seu stercorea* a rétentis in
herniae excrementis, flatibusque nata, in solis herniis inver-
teratis, magnisque, saepius repositis et denuo prolapsis
obvia est, cum pars maior intestini prolapsa, actione mu-
scularum abdominalium et diaphragmatis orbata, difficilior-
rem exrementorum et flatuum secessum per annulum
arctiorem admittat. Subiecta aetatis iam provectionis, la-
boribus exhausta, compagis magis laxioris in primis mascu-

lina item qui victu lauto utuntur, vires iusto magis intendunt, huius incarcerationis periculo exponuntur; quam haec indicant signa: hernia ante reponibilis non recedit, sed continuo volumine, pondere et duritate increscit, aeger nullum vel exiguum dolorem sentit, ob foecum et flatum transitum impeditum alvus est pertinacissime obstipa, abdomen magis inflatum, quam tensum, indolens; elapsa dein una vel et pluribus diebus tumor herniosus evadit dolorisicus, accedunt symptomata febris mitioris, nausea, vomitatio, tormina, vomitus facilis per maiora tantum temporis intervalla recrudescens, tardius per longorem moram excrementorum in parte intestini incarcerationata, subinde per iterata tentamina repositionis pars intestini strangulata sensim magis magisque irritatur, donec cuncta symptomata inflammatoria cum suis sequelis gravia, periculosa, saepe lethalia compareant. Haec incarcerationis species subinde pluribus diebus absque vitae discriminé perdure potest. LE DRAN (*Observations de chirurg. etc. obs. 57*) operationem incarcerationis die 14. SAVIARD (*Nouveau recueil d' observ. chirurg. obs. 22. p. 122.*) 22da felici successu suscepit. *Characterisatur* haec incarcerationis species *ortu et decursu symptomatum lento.*

His incarcerationis speciebus addunt alii auctores, ut RUST, ZIMMERMANN etc. (*Zimmermann, Beobachtungen ü. eing. Brüch. Lipsiae. 1832. p. 22.*) et quartam sc. organicam, quae a causis organicis, ut: intumescentia, induratione partium egressarum; incrassatione, coartatione cervicis sacci herniosi; varia prolapsorum viscerum circumvolutione et concretione cum partibus vicinis etc. inducit. Haec distinctio intuitu operationis suscipienda in praxi magnae dignitatis foret, si causae huius incarcerationis a priore cum aliqua saltem probabilitate cognosci possent.

Ex allatis patet enumeratas incarcerationis herniosae species sub initio morbi satis esse distinctas, successu vero temporis et spasticam et chronicam incarcerationem in phlogosim demum abire, et tunc nisi studiosissime persensa symptomatum indole, accessu, vehementia, durata, adsociatione dignosci non posse.

Etsi incarcerationis herniosa propriis stipetur signis, maxima tamen et studiosissima attentio ad eam in omni casu dignoscendam requiritur; etenim symptomata minus quidem sabrae primarum viarum, aut gastralgiae cum vomitu conjunctae, sed longe maxime ilei iis, quae in-

carceratio herniosa inducit, analoga in hernioso adesse possunt absque incarceratione, quae saepe chirurgos magni nominis in errorem perniciosum induxerant ut id POTT (*Pott's Werke T. 3. p 304 et 307*) exemplis pluribus illustrat. Ubi itaque ad aegrum accersimur; qui de febre, vomitu, alvo obstipa et dolore in regione inguinum vel abdomine etc. conqueritur, merito semper herniae incarcerationem suspicari licebit. In quo opere recte monente LAWRENCE *medico* in primis *iuvenci* circumspectione et sagacitate summa opus erit, vel maxime in sexu sequiore, qui tempestiva pudicitia ductus medicum persaepe fraude circumvenire consuevit. Oportebit hinc in singulo casu totum abdominis ambitum attentissime explorare, an tumor herniosus distinctus, vel quod in hernia imperfecta obvium est, an locus dolens, tensus in regione inguinali aut crurali adsit, attactus impatiens, de quo dolores extendantur, an causa quaepiam excitans herniae praeesserit, an aeger brevi ante bene valuerit. His se ita habentibus diagnosis praesentis incarcerationis difficilis non erit. Si vero sub symptomatibus herniae incarcerationae ipsa hernia haud dolorifica, nec tensa, per totum morbi decursum fuerit, si mobilis reductionem admittat, seu si antea iam immobilis fuerit, absque iniuria externa praegressa aut aucto tumoris volumine, si dolores in abdome exorti tardius tumori hernioso communicati; aliam causam morbi abdominalem suspicari licebit. Rite persensa symptomatum indoles, accessus, vehementia, duratio, associatio, morbique praegressi natura rei dubiae lucem adfundet.

Causae incarcerationis.

Causae incarcerationis herniae inguinalis et cruralis haerent quoad sedem I-mo vel in *partibus continentibus annulo* nimirum vel *sacco hernioso*; et quidem hernia *inguinalis externa* incarcerationi potest in annulo inguinali anteriore, posteriore et *sacco hernioso*; hernia *inguinalis interna*: in apertura in *plano crurali anterioris* *annuli inguinalis* formata, in annulo inguinali anteriore et *sacco hernioso*; h. *cruralis interna*: in annulo crurali anteriore, posteriore, item *sacco hernioso*; hernia denique *cruralis*

externa rarissime obvia in annulo, quem rupta fascia iliaca anterior constituit.

II-do vel in *partibus* in hernia *contentis*.

III-tio vel denique in *utraque parte* adsunt.

Strangulatio partium prolapsarum in hernia inguin. et crur. frequentissime per *annulum inguinalem* vel *cru- ralem* inducitur, qui vel spastica muscularum contractio- ne coarctatur, quod tamen solum in hernia in- guinali locum habere potest; vel a partibus prolapsis ex- tensus resistantiam edit robori et elasticitati fibrarum pro- portionatam, sicque in utroque casu partes in hernia con- tentas premendo, earum phlogosim mox provocat; qua- re in henniis recentibus parvis licet, vel maiore conten- torum parte cito protrusis, haec incarcerationis causa frequentior esse solet; in maioribus vero et vetustis her- niis, ob annuli herniosi relaxationem, et deperditam ela- sticitatem, rarer observatur.

Saccus herniosus, dum per continuam pressionem, quam ab annulo experitur, vel in cervice, vel in alio supra aut infra annulum loco, interdum in pluribus locis simul coarcta- tur, incrassatur, aut stricturas varias circulares efformat, strangulationem partis elapsae parit. Hanc incarcerationis cau- sam ut plurimum sub operatione cognoscimus. Saepissime usus bracherii diu continuatus, dein neglectus, propulsa iterum hernia huic incarcerationi ansam dat. Neque un- quam haec incarcerationis species in recentibus henniis, sed semper in inveteratis occurrerit. Locus sacci contractus, qui saepe digitis sentiri potest, sulcos quasi filo constri- ctos, exploratione externa interdum detegendos exhibet. Imo ARNAUD (*Tr. des hern.* T. 2. p. 11.) in uno casu invenit cervicem sacci herniosi tres lineas crassum in car- tilaginem conversum. SCARPA (*Traité sur les hernies* §. 7-0) alterius casus meminit, ubi colon prolapsum per sac- cum herniosum ita coarctatum fuit, ut nec digitum mini- mum immittere posset. Secundum observationes eiusdem viri expertissimi, saepe concretiones parietum sacci her- niosi inter se, vel cum intestinis contentis, item indura- tio textus cellulosi saccum herniosum circumdantis, aut cremasteris expansioni cervicis sacci herniosi resistentis, causam strangulationis herniosae constituere possunt.

3-tio *Partes* denique in hernia *contentae* strangula- tionem inducere possunt. Sic intestina et omentum con- cretione inter se, vel cum partibus vicinis, maiore copia

hiatu annuli impare prolapsa, varia circumvolutione, aut intussusceptione, tumore inflammatorio partium in hernia contentarum, obliteratione partiali luminis intestini in' sequelam inflammationis chronicæ, strictura omentalí orta, vel a circumductione, vel ab adhaerentiis, vel a ruptura intestini parte per hiatum protrusa etc. causam incarcerationis saepe sistunt: Imo in *Encyclopaedie der M. W.* T. 2. p. 355. adfertur casus a *Gallo Chirурgo Chopart* observatus, in quo ipse recessus partium prolapsarum causam incarcerationis constituit. Vi nempe maioris voluminis hernia laboravit, qua sponte recedente symptomata omnia incarcerationis in conspectum veniebant, tentabatur relapsus, sed morte superveniente, incasum. Sectio instituta docuit partem intestini prolapsam sub recessu plicae intestinali implicatam et incarceratam fuisse. Denique retenta excrementa, *flatus*, corpora aliena, ut: *globuli*, *nummi*, *ossicula*, *acus*, *liquida accumulata* in parte prolapsa copia distendente et compri-mente incarcerationi subinde ansam dant.

Diagnosis specialis sedis incarcerationis in genere multis premitur difficultatibus, subinde ante operationem nec erui potest. Sequentia tamen rei dubiae aliquam lucem foenerabunt.

1. Incarcerationis sedem *annulum inguinalem* aut *cru- ralem* constituere declarat: ortus herniae repentinus post praegressam vehementiorem violentiam, tumor herniosus elasticus, tensus, summe dolorificus, attactus omnis im- patiens, citum symptomatum inflammatoriorum incremen- tum, eo quidem velocius, quo minor adest annuli haud antea extensi dilatatio et maior prolapsarum partium copia.

2. *Saccum herniosum* in causa esse cognoscitur ex ortu herniae post praegressum diuturnum usum bracherii subito, annulo non tenso, mobilitate tumoris herniosi admodum tensi maiore.

3. *Accumulata* in intestino prolapo *excrementa*, *fla- tus*, corpora aliena incarcerationem induxisse, docet herniae lentum incrementum, quae in principio vix et ne vix qui- dem attactu dolorifica; corpus pastaceae consistentiae, grave, elasticum, irregulare pro diversitate contentorum exhibet.

4. Partium denique prolapsarum circumvolutionem, contorsionem, constrictionem, rupturam strangulationem an-

sam dedisse ante operationem cum probabilitate adfirmari non potest.

Prognosis.

Prognosis incarcerationis herniae inguinalis et cruralis *in genere* admodum *infusa* statui debet, absque artis enim auxilio nec ubique locorum habendo, neque omni tempore secundo morbum sistit vix non semper lethalem. Generalis haec prognosis in casibus individuis per incarcerationis causam, indolem, durationem, herniae magnitudinem, partium prolapsarum naturam, item sexum, aetatem, constitutionem individualem aegri, complicationes varias, nec non alias quaspiam circumstantias exactius determinatur.

a. Incarceratio herniosa ab *annulo inguinali* aut *cru-rali* inducta iam maiore, iam minore stipatur periculo, pro diversa magnitudine et elasticitate marginis hiatus tendinosi; quo amplior enim hiatus, quo magis elasticis margines, eo minor pressionis gradus, hincque minor metus symptomatum ominosorum, et contra; gravius tamen plerumque periculum inducit, quam incarceration a sacco hernioso, vel contentis in hernia producta.

b. Incarceratio *inflammatoria* in primis subito nata, gravibus mox symptomatis stipata aegrotum in gravissimum, subinde omni exspectatione citius vitae discrimen coniicit. Viri experientia clari, ut: *Wilmer*, *Pott*, *Calissen*, *Scarpa*, *Hey*, *Cooper*, *Sabatier* plures adnotarunt casus spatio 24 horarum morte terminatos. Cooper observavit casum, in quo aeger 8. ab incarceratione hora obiit. Imo perhibente *LARREY* (*Larrey Mémoires de chir. milit.* T. I. p. 196) miles Gallus, qui expeditioni in Aegyptum duce Napoleone interfuit, post defatigantia itinera herniam sibi adscivit, quae illico et incarcerabatur. Aeger in nosocomium delatus post duas horas exspiravit. Sectio docuit/et partes hernia contentas, et intestina gangraena correpta fuisse. Hicce erat casus secundus a Larrey observatus. Ante biennium et nobis in clinico nostro chirurgico insidiosam morbi ferociam observare licuit. Lanio puppe iuvenis, robustus, ubi onus gravius attolere intenderet, praeeunte in regione inguinali dolore vehementi, ibi tumorem magnitudinis ovi gallinacei observat, rem vilipendens porro licet aegrius munere suo fungitur,

vesperi dolore increcente lectum petere cogitur; comparet mox cum nimio anxietatis sensu febris mitior, et noctu vomitus bis. Sequenti die circa meridiem aeger ad clinicum chirurgicum defertur, praemissis necessariis taxis herniae, sed incassum tentatur; nunc, dum ad operationem, velut unicum salutis remedium necessarii apparatus fiunt, et aegri consensus expetitur, supervenientes convulsiones inopinatae aegrum peremerunt. Sectio docuit partem intestini colon strangulatione detentam in gangrenam transiisse: Incarceratio herniosa spastica et inprimis chronica minus quidem parit periculum, sed et hae sibi relictæ ubi iam longiore, iam breviore tempore durassent, in phlogosim et gangrenam abeunt.

c. Hernia incarcerata magna et chronica, quae primo obtutu magnum minari videtur periculum, in genere minus periculosæ est, quam strangulatio herniae parvae, recens natae; rariusque in hæc, quam in illa repositionis tentamina succedent; ut id testatur expertissimus HEY: „Persvasum habeo, commune principium, quo minorem esse herniam, eo minus probabilem illius repositionem fore, fundamento non destitut; diu continuata tentamina herniam reponendi in hernia chronica et magna, nisi ad sit concretio, longe saepius felici successu coronatur.“ Et iuste, in hernia enim incarcerata magna et chronica annulus tendinosus per continuam prægressam pressionem a partibus protrusis multum de elasticitate sua perdit ita, ut strangulationis maioris vix capax sit. In hernia vero parva, recens nata hiatus angusti et tensi prolapsas partes fortiter constringunt, quam constrictionem et graviora excipere symptomata necesse est. — d. Incarceratio herniae intestinalis in gravius aegrum inducit vitæ periculum, quam omentalís; haec enim rarius lethalis evadit. Entero-epiplocele medium inter utrumque tenet. — e. Hernia inguinalis incarcerata in sexu sequiore, cruralis vero in viris est periculosis; cum in his canalis cruralis, in illis autem inguinalis angustior sit. — f. Ratione aetatis incarceratio herniosa sub iisdem conditionibus infantibus minus ac adultis parit periculum, cum partes organismi infantilis vi prementi facilius cedant, neque in phlogosim adeo pronæ sint. Etsi rarissime in illis occurrat, adnotati tamen sunt iam plures casus. Ita POTT (l. c. T. II. p. 33.) vidit infantem vix annum emetientem ex incarceratione herniosa obire. — g. Cum in hominibus robustis,

plethoricis, iunioribus utriusque sexus incarceratio herniosa characterem agnoscat ut plurimum eminenter phlogisticum, ideo hi semper in maximo versabuntur vitae discrimine. Herniae incarceratae in *senibus* decrepitis, subiectis exhaustis, debilibus obviae, quae saepe iam ante incarcerationem prolapsae erant, et incarcerationem vix non semper chronicam constituunt, minore stipantur periculo. — h. Inflammatio, aut quaecunque alia noxa sive visceris alicuius abdominalis, sive alterius partis corporis humani cum incarceratione herniosa complicata, huius prognosim deteriore reddit. — i. Variat denique herniae incarceratae prognosis pro diversitate circumstantiarum, loci, ac temporis; ita, si hernia incarceraretur ubi quacunque de causa rationale artis auxilium ferri non potest, vix non semper lethalis evadit.

Therapia herniae incarceratae.

In generali herniae incarceratae therapia duplii indicationi satisfaciendum erit; quarum 1-ma *ut partes incarceratae strangulatione liberentur*, altera *ut in situm normalem reponantur*; poscit. Remedia, quorum ope duplex hic scopus obtinetur, sunt: *Tentamen repositionis (taxis)*, *sanguinis evacuatio*, *balnea*, *remedia alvum ducentia*, *enemata varia*, in primis ea, e *herba nicotiana*, *antispasmodica* et *emollientia*, *frigus*, ac denique *operatio*. Remedia haec seorsim primum considerabimus, ut perspecto uniuscuiusque valore, ordinem, quo in singula incarcerationis specie adhiberi debent, eo facilius intelligamus. Hoc enim recte animadvertente S. Cooper huendum in plurimis chirurgici argumenti operibus desideratur.

T a x i s

Ubi ad aegrum hernia incarcerata laborantem accersimur, in plurimis casibus primum, quod suscipimus, est *tentamen partes prolapsas reponendi*, sive *taxis*. Est vero haec res ardua atque difficilis, et magnam certe chirurgi prudentiam et constantiam requirit. Includit autem 1-mo *situm aegri reductioni faventem*; et 2-do *ipsam reducti nem*.

1. *Situs reductioni in genere maxime favens.* is erit, ubi fibrae musculares et tendinosae, quae transitum partium concesserunt, maxime relaxantur; ut sic elapsa proprio pondere ad naturale receptaculum vergant. Aeger igitur praemissa vesicae urinariae, et ubi fieri potest, alvi evacuatione supinus, iu herniis cruralibus vero trunko addatus herniae oppositum inclinato, pectore, pelvique levatis, capite reflexo, genibus inflexis, et introrsum rotatis locatur, ut musculi abdominales, in primis fibrae tendinosae musculi obliqui externi et fascia lata relaxentur. Aegrotus sub reductione plane sit passivus, cum omnis motus musculos abdominales tendens, clamor, tussis, spiritus retentio reductioni obstent. Ubi reductio in hoc situ non succedit, a multis hic propositus fuit: vir robustus ad partem inferiorem lecti stans genua aegroti supra humeros suos inflectit, et aegrum tantum elevat, ut caput solum et suprema pars dorsi pulvinaribus sustineatur. Methodus haec minus congrua nunquam erit in usum vocanda. Lawrence (o. c. p. 152) testatur se nunquam illam adhibuisse, nec vidisse ab aliis adhibitam fuisse. Servetur vero situs idoneus non solum sub opere repositionis, sed quo usque incarceratione perdurat; neque ipse aegrotus proprio nisu situm mutet, sed ab adstantibus adiutus ad omnes situs mutationes otiosus se habeat. Ipse chirurgus situm quam maxime commodum et talem occupet, in quo vires illius quam minimum defatigantur; oportet enim subinde et per horam taxis tentamina continuare.

2. His omnibus ita dispositis, chirurgus partes prolapsas in cavum abdominale *reducere* tentat, sequenti ratione: manus ut plurimum sinistra margini hiatus applicatur, altera vero hernia prehensa leniter versus annulum premitur, ita siet, ut ulterior prolapsus viscerum et partium forte iam repositorum impediatur. PETIT svadet, ut aequalis pressio in omnem superficiem tumoris herniosi exeratur, quam utraque manu persciendam iubet. In incarceratione chronica a retentis foecibus producta sequens enchirosis repositionis feliciter successit. Chirurgus scilicet unius manus pollice et reliquis digitis amplectitur cervicem sacci herniosi, quam deorsum leniter comprimit, ut foeces annulo proximae in cavum abdominis propellantur, siveque hernia volumine imminuta facilius hiatum ingredi possit. Interdum tamen variam hanc methodum pressionem exerendi diversimode mutare conveniet. Ma-

xima vero attentio in ipsam directionem pressionis convertenda est, quae pro diversa herniae specie, varia, sine exacta herniae anatomica cognitione felici successu vix coronabitur. Herniae inguinalis externae taxim aggressuri pressionem cum HESSELBACH (*Disquis. anat. patho.* p. 35.) reponendis intestinis prolapsis impendendam oblique extorsum sursumque anteriorem cristae ossis ilei spinam versus dirigimus. In hernia inguinali interna recto prope modum ab antica parte retrorsum sursumque directionem observemus, necesse est. In herniis cruralibus exiguis a parte antica retrorsum sursumque pressio dirigenda est; in maioribus vero eiusmodi herniis pressio a parte antica retrorsum eousque instituta videtur aptissima, donec sacci herniosi corpus maximam partem evacuatum fuerit, quo facto hernia in modum exiguae herniae cruralis tractatur. Ipsum tentamen repositionis initio sit lenissimum, dein sensim fortius, quale aeger absque graviore dolore ferre potest. Rudior autem contractatio in universum nociva est, neque reductioni favet, imo cum plicae intestinales aut omentales inde firmius ad se invicem adprimantur, subinde periculum magnopere auget. ARNAUD (*Memoir de chir.* T. II. p. 246) suppurationem omenti, COOPER (*Anatomy of inguinal hernia* p. 23) gangraenam et rupturam intestinalium per tale tentamen rude inducta observarunt. Neque post irritum repositionis conatum mox desistat chirurgus, sed coeptum opus pro symptomatum varia ratione ultro patienter continuet. Faventibus tandem circumstantiis reductio herniae incarcerated cum murmure, si intestinalis fuerit, aut lente absque murmure, si omental is sit, succedit; recedente simul sacco heruioso, si recens sit morbus, extra vero remanente, si inveteratus. Partium sic reductarum retentionem singulare vincturae genus *bracherium* vel *brachierolum* vel *amma* vel *hamma*, dictum ad herniae sedem et rationem adcommodatum praestare solet. Succedente reductione incarcerationis symptomata mox ut plurimum cessant, et canalis intestinalis perfecta perviatio haud difficulter restituitur, atque per alvum saepissime iteratis vicibus praecipue in incarceratione herniosa stercoracea magna quantitas excrementorum evacuatur. Si repositione peracta alvi evacuationes non insequerentur, absentibus omnibus gravioris inflammationis signis conveniet alvum sumto leni laxante antiphlogistico, et enemate emollienti solicitare; in casu vero inductae enteritidis,

aut peritonitidis methodus antiphlogistica strictior in usum vocanda erit. Ubi repositione herniae licet facta, obstratio et reliqua incarcerationis symptomata perdurarent, tunc merito internam incarcerationem a coarctato lumine intestini, vel strictura omentalii, vel varia partium circumvolutione inductam suspicari licebit. Hoc in casu aeger iubeatur surgere, tussire, varios motus cum adstrictione perficere ad relapsum partium repositorum procurandum, quo succedente, herniotomia absque cunctatione suscipienda. Idem factu opus, dum hernia una cum sacco hernioso reposita, symptomata incarcerationis per saccum herniosum in cervice incrassatum aut coarctatum sustentantur. In simili casu VIGUERIE (*Encyclop. d. med. Wissensch.* T. II. p. 359.) Tolosatii in Gallia, ubi relapsum partium repositorum inducere frustra tentaret, denudato ampliatoque annulo inguinali saccum herniosum protraxit, aperuit, atque cervice coarctata incisa repositionem partium prolapsarum denuo perfecit.

Si cauto et assiduo reductionis tentamini hernia resistat, ad alia auxilia, quae ad opus facilitandum praesto habemus, recurrentum erit.

Sanguinis evacuatio.

Phlogosis in principio quidem solum partium prolapsarum, sed mox et viscera abdominalia prehendens accita *debilitas*, quam sanguinis evacuatio inducit, reductio admodum favens, *indicantia* fuere, quibus viri et doctrina et experientia magni, ut: POTT, SHARP, RICHTER, CALISSEN, SABATIER, B. BELL, et SCARPA ducti sanguinis evacuationem in strangulatione herniosa multum commendarunt. Liceat aliquorū propria adducere verba: POTT (l. c. V. II. p. 79.) sic inquit: „*Vix datur morbus corporis humani, in quo venae sectio immediate efficacior foret; quam hic; (hernia incarcerata) quare et ea, ni illam singulares circumstantiae vetent, in genere suscipienda esset; sed tunc e vulnere sat amplio copiosa et saepius repetenda sanguinis missio instituatur.*“ — RICHTER vero (l. c. T. V. p. 213.) ait: „*Sobald die Einklemmung schmerhaft wird, lasse man zur Ader, von welcher Natur die Einklemmung auch sey.*“ — „*Praecipuus vero cardo vertitur in sanguinis detractione, quae non solum inflammationi obstat, sed quoque ob citam, quam indu-*

cit debilitatem, reductioni saret." (CALISSEN l. c. p. post p. 740.)

Non obstantibus tot tantisque auctoritatibus chirurgi Angli: *Wilmer*, *Alanson*, *Cooper*, et alii continentis non solum venaesectionis praedicatam efficaciam in dubium vocarunt, sed eandem etiam ut nocivam condemnarunt, sic argumentando: venaesectio aperturam, per quam partes prolapsae sunt, et constringuntur, dilatare non valet, volumen partium egressarum non imminuere, nec hernia contentis vim propriam indere, qua haec incitata semet retrahere impellerentur, denique et experientia docet saepius venam et valide et iterato sectam fuisse, quin hernia recesserit.

Viri hi magni generalibus magis innixi principiis individualitatem uniuscuiusque casus attenta mente scrutari neglexisse videntur, atque ita in extrema delapsi sunt. Chirurgus rationem et experientiam in agendo sequens, iustumque semper casus individualis respectum habens, sanguinis detractionem neque cum illis in omni incarceratione herniosa suscipiet, sed neque eam cum his ut inutilem aut plane noxiam negliget. Etenim, etsi sincere fatendum sit, sanguinis evacuationem in repositionis opere perficiendo celebrata efficacia nequaquam gaudere, non tamen desunt commoda, quae recto tempore atque modo adhibita praestare valet. Sanguine detracto phlogosis partis strangulatae minus cito se super reliqua viscera cavi abdominis diffundet, morbi itaque celeritati quasi aggerem opponit, ac aliquam semper post debilitatem relinquens reductionem multum adiuvat.

Indicatur ergo venaesectio in incarceratione inflammatoria, tumore parvo recens nato, abdomen tenso et dolorifico, in subiectis iuvenibus, robustis, plethoricis. Ut tamen id praestet sanguinis ex ample venae vulnere subita et copiosa missio ad constitutionis, aetatis, viriumque rationem et phlogoseos gradum ad animi deliquium usque protracti poterit, in quo statu reductio herniae facilis succedere solet. Unica et larga sanguinis evacuatio pluribus paucioribus praferenda erit. Neque apparet prostratio virium, pulsus parvus, extrematum frigus, faciei pallor sub incarcerationis initio venaesectionem excludit, cum ipso sanguinis fluxu pulsum elevari, extrematum calorem redire et aegroti vires apparenter eriguntur. Chelius venaesectionem in balneo tepido per-

agendam svadet. Sanguine depleto reductio, quae antea impossibilis erat, haud raro succedit. Topica sanguinis evacuatio ope hyrudinum efficacia non caret; attendendum solum, ne tempus remediis efficacioribus fors impendendum, eorum adapplicatione deperdatur.

Semicupia tepida.

Haec ob debilitatem et relaxationem fibrarum muscularium et tendinosarum, quam inducunt, reductioni admodum faventem a chirurgis merito unanimi consensu commendantur. Cum vero debilitas haec mox a balneo relicto evanescere soleat, tentamen repositionis herniae interdum sub insessu, vel illico, ut aeger semicupium egreditur, suscipiendum erit. Situs in semicupio optime horizontalis convéniet (COOPER, LAWRENCE). In incarceratione spastica congrue usui semicupii tépidi iungitur opium. Indicatur usus semicupii tepidi in principio incarcerationis inflammatoriae, sed vel maxime in spastica strangulatione herniosa ita, ut vix unquam ad herniotomiam refugiamus, antequam balnei tepidi usum fecissimus. Ubi vero symptomata intensitate nimium increverunt, nec a semicupiis multum spera.

Remedia laxantia.

Haec ideo in incarceratione hérniosa commendata erant, quod chirurgi putaverint stimulo illis proprio motum tubi intestinalis peristalticum incitari, sicque recessum partium prolapsarum adiuvari. Repetita tamen observatio docuit, illa saepe non tantum non efficacia, sed etiam ut in incarceratione vel maxime inflammatoria nociva esse. Ore enim assumta mox vel vomitu efficiuntur, vel in tubum intestinalem delata phlogosim hic gliscentem exasperant. Merito itaque medici nostri aevi usum purgantium in incarceratione inflammatoria damnant. In herniis solum inveteratis magnisque incarceratedis, ab excrementis accumulatis, vel a vermibus, vel a defectu motus peristaltici profectis optimo cum successu exhibentur. Sal amarus maiore quantitate aquae solutus cochleatim quovis quadrante horae exhibitus egregie functionem tubi intesti-

nalis intendit, multipliceque experientia comprobatum effectum praestat. Neque fortiora drastica in hoc casu securè usurpantur. Si complicatio spastica adfuerit, aut vomitu eviciatur medicina, oleum ricini recenter paratum, vel oleum lini et nonnulla grana opii cum succo citri utiliter adhibentur. RICHTER (*l. c. p. 186.*) sequentem commendat formulam: Recip. *Sulfatis Magnesiae unciam unam, solve in aquae Chamomillae unciis quinque, adde: olei lini uncias duas, succi citri unciam unam, opii puri grana duo, syrapi opati unciam unam. M. D. S. Cuncte atque omni quadrante horae.* Ubi aeger hanc medicinam non fert, secundum HEBERDEN (*Medical transactions V. II. p. 516.*) saepe profuit murias hydrargyri mitis cum extracto purgante, vel et hoc cum opio combinatum. Plurimis in casibus oleum ricini recenter paratum blandissimum et maxime indicatum sistit purgans remedium. Semper tamen memor sit medicus a purgantibus desistendum esse mox, ut phlogoseos aliqua observantur symptomata. Remedia purgantia anno iniecta vix efficaciora sunt, quam ore assumta, in genere tamen ubi laxantia indicantur, et clysmata in usum vocare oportebit. Laudantur clysmata imprimis ex aceto et aqua frigidissima decocto Belladonae aut Hyosciami parata; minus certa et secura sunt salina, squillitica et drastica. Secundum CALISSEN solutio tartari emetici et Ipecacuanha clysmate iniecta saepe prodest. Idem auctor asserit imposito in abdomen emplastro vesicatorio effectum purgantium mire augeri.

Clysmata ex herba Nicotiana.

Inter remedia, quae in solvendo incarceratione herniosa famam meruerunt, principem locum unanimi fere chirurgorum consensu clysmata ex infuso aut decocto, vel fumò herbae Nicotianae parata tenent ita, ut vix non omnes syadeant, nunquam ad herniotomiam refugiendum esse, priusquam horum usus tentetur. HEISTER (*Instit. chirurg. p. 807.*) de illorum virtute hanc protulit sententiam: „*Posteaquam aliquot eiusmodi aegros hoc fumo tabaci feliciter restitui, ut nunquam adhuc in morbo ad scalpellum accedere opus mihi fuerit.*“ — HEY (*Pract. observ. in Surgery etc. London 1803. et Langenbeck. Bibl. f. d. chir. T. I. p. 1. et 2.*) haec dicit: „*Clysmata*

e decocto Nicotianae et tunc saepe egregie prosunt, ubi alia remedia incassum tentantur; ac ubi post iteratam eorum applicationem hernia non recedit, in operatione omnis salus quaerenda." — Tantam quidem horum clysmatum virtutem aliorum experientia non confirmavit; nihilominus tamen, ut remedia magnae virtutis merito semper consideranda erunt. Nicotiana enim virtute sua, qua gaudet, propria acri-narcotica non tantum motum contractivum intestinorum intendit, sed et actionem systematis nervosi in primis spinalis insigniter deprimit, pulsum tardum, nauseam, vomitionem, sudorem frigidum, dosi maiore animi deliquium et semper insignem virium muscularium debilitatem ac relaxationem provocat, sub qua partes prolapsae vel sponte relabuntur, vel auxilio adhibito facilius cedunt. G. A. RICHTER (*Ausführl. Arzneym.* T. II. p. 788.) fumo vel decocto huius herbae in intestinum rectum impulso, et aegro in balneum tepidum mox imposito tentamina repositionis persaepe felici successu coronari asserit. Continuandus vero erit usus horum clysmatum, donec supramemorati Nicotianae effectus in conspectum venerint. Neque tamen in omni incarceratione promiscue adhibeantur, in statu enim eminenter inflammatorio manifeste nocent, ut id SCHAUFLUSS (*Hufeland's Journal* T. III. p. 368. *Pract. Bemerk. üb. d. Missbrauch d. Tabacksklyst. bey eingeklemmt. Brüchen, Lipsiae* 1801.) et ARNEMANN (*Medicin. chir. Bibl.* T. I. p. 2.) uberius docuerunt. Quo magis incarcерatio characterem spasticum induit, eo certior remedii effectus, quin ideo mitior inflammationis gradus eius usum excludat. Adhibentur haec clysmata vel forma infusi aut decocti, vel fumi; hic applicationis modus apparatus requires proprium, nec ubique obvium merito priori postponitur, in primis cum experientia sumum infuso vel decocto nequamquam efficaciorē demonstraverit. In incarceratione solum chronica G. A. RICHTER enemati e fumo parato maiorem virtutem tribuit. Infunduntur vel decoquuntur hoc scopo herbae Nicotianae tabaci sat fortis drachmae duae (secundum Chelium uncia semis aut integra) in aquae fontis libra una per quadrantem horae, et colatura detur pro enemate. A. COOPER svadet dimidium primū anno iniicere, et interposito aliquo intervallo partem alteram; observavit enim plures casus, in quibus omnis illa quantitas intestino recto iniecta nimios acri-narcoticorum

effectus produxit. Sed et interne Nicotiana in incarceratione herniosa exhibita profuit. Sic RICHTER (*Abhandl. v. d. Brüch. edit. II.* p. 223.) paravit e drachmis tribus Nicotianae et duabus radicis rhei decoctum ad colaturam utiarum octo, et inde omni hora cochlearium cibarium exhibens, in quatuor casibus iam desperatis miros vidit effectus. PFAPP (*Richters chir. Bibl. T. VI.* p. 535.) in hernia incarcerata fumo Nicotianae solum deglutito alvum motam fuisse observavit.

Remedia antispasmodica.

Haec in primis multum commendata erant per RICHTERUM, qui huc semicupia tepida, opium, ipecacuanham et alia emetica dosi refracta, fomenta, ac cataplasma emollientia, emollienti-narcotica, inunctiones abdominalis stimulantes, anodynæ etc. retulit. Indicantur vero haec remedia non solum in herniae strictura spastica, sed quoque in inflammatoria mitiore, cum et in hac effectus auctae irritabilitatis vix semper desint. De semicupiis iam egimus. Quoad opium HEY (*I. c. p. 129. et 134.*) asserit, se saepius vidisse reductionem herniae iucarceratae, praegressa sanguinis evacuatione opio maiore dosi in subjectis etiam plethoricis exhibito feliciter successisse; nihilominus tamen propria et aliorum experientia ductus opium ut remedium tam minime commendare audet; prodest enim solum vel maxime eo, quod vomitum et dolorem molestos incarcerationis comites sopire, speque vitae nulla affulgeute mortem pacatiorem inducere valeat. Ubi vero medicus ab opio effectum exspectat, id intrepide praemissa praecipue sanguinis depletione dosi maiore exhibeat, est necesse. — *Ipecacuanha* ad dimidiā grani partem quavis dimidia hora porrēcta, perhibente CALISSEN (*I. c. p. p. 569.*) mirum ad solvendum stricturæ spasmum effectum præstítit. Usum eius fecit et RICHTER (*I. c. p. 120. et v. d. Brüch. ed. II.* p. 236.) testaturque in principio incarcerationis se refracta ipecacuanhae dosi vomitum non solum inminuisse, sed plane sopiisse. Ast, dum alii auctores, ut LAWRENCE etc. hanc illius virtutem valde in dubium vocant, S. COOPER cum aliis ipecacuanhae nec mentionem facit. Idem valet de aliis emeticis dosi refracta exhibitis. — *Fomentorum et cataplasmatum*

*emollientium, emollienti-narcoticorum, item inunctionum abdominalis cum linimento volatili, opio, oleo hyoscyami, olivarum etc. virtus omnis in solvenda incarceratione negari non potest; sic HINTERLACH (*Rust's Mag. XXVII. I. p. 191.*) in incarceratione herniae umbilicalis, ubi taxis cum omnibus aliis remedii frustra tentabatur, extractum Belladonae cum unguento hydrargyri cinereo et althaeae felicissimo successu adhibuit. ZIMMERMANN vero (l. c. p. 8.) inunctionem abdominalis et tumoris herniosi cum oleo olivarum laudat. — Nec tamen ideo illi, qui, neglectis efficacioribus, omnem aegri salutem in his remedii quae-runt, a gravi culpa absolvvi possunt, in quos S. COOPER merito sic invehitur: „Wer nur immer in dringenden Faellen die Wirkung solcher Mittel versucht, verdient Tadel über seine Leichtgläubigkeit, Unwissenheit, und Un-schicklichkeit, eine Krankheit von so raschen Verläufe zu behandeln, bei welcher man, wie Pott bemerkt, zu-rückgehet, wenn man nicht vorwärz schreitet; und wo-bei alles, was keinen Nutzen leistet, eben dadurch scha-det, weil Alles davon abhängt, die hier ganz unersätz-liche Zeit nicht zu verlieren.“*

Frigus.

Cum frigus inter omnia remedia externa, electricitate excepta, maxime et citissime penetrans liquida in va-sis, aërem in intestino prolapso contentum condenset, par-tes solidas constringat, sique volumen herniae imminuat; et simul antiphlogisticum potentissimum sit, ideo viri magni: BELL, WILMER, PETIT et alii illius applicationem in strangulatione herniosa multum commendarunt, et elys-matibus nicotianis proxime accedere asseruerunt. Fatentur tamen iidem viri effectum inde exspectandum non semper tutum et certum fore. Dupli vero modo frigus applicari potest, vel scilicet: superinfusione aquae frigidissimae in abdomen et tumorem herniosum, quae tamen applican-di ratio ob subitam muscularum abdominalium constrictio-nem vix noxae suspicionem effugit, (*casus observatus a Petit Traité des Mal. chir. II. p. 235. item apud Lawrence l. c. 834*) vel, quod praestat, appositione super abdomen et herniam glaciei, quae contusa optime vesicae immissa applicatur. In defectu glaciei nix, vel solutio anatica salis

ammoniaci et nitri in aqua communi, vel frequens instillatio naphiae (*In Duncan's Commentario V. 17. p. 487.* adnotantur casus felices, item Schmalz in *Loder's Journal für Chirurg. T. I. p. 681*) utiliter quoque adhibetur. Alia quoque remedia usitata, ut: aqua saturnina acetum sali ammoniaco nuptum etc. frigore solum efficacia sunt.— Continuato per aliquot horas frigoris usu minui saepe sollet tumor, quod ni sequatur, ultra sex usque duodecim horas frigus administrandum non erit. Tumore et sensibilitate aliquantum imminutis, hernia contrectationem melius fert, et ideo taxis mox tentanda erit. Frigus adhibendum est in incarceratione acuta, in primis in principio morbi praemissa sufficiente sanguinis evacuatione, minus in spastica conductit, optimum effectum praestitit in incarceratione chronica, in qua usus illius et diutius continuari potest.

LEROY d' ETOLES (*Archives générales de Médecine. Octob. 1826 et Hecker Ann. Jan. 28. p. 205*) post experimenta in animalibus facta galvanismum, ut remedium efficax, in repositione herniae incarceratedae commendavit, cuias tamen virtutem in hoc morbi genere aliorum experientia nondum confirmavit.

Viri et experientia et auctoritate insigne in suis scriptis serio nos monent, ut in sananda hernia incarcerateda semper remedia, experientia maxime probata, sine mora adhibere properemus; quemadmodum id egregie CALISSEN (*l. c. p. p. 567*) his verbis innuit: „*In universum notandum: remedia incarcerationi opitulantia cito et strenue adhibenda esse, cum natura hic parum aut nihil faciat, et omnis aegri salus ab artis auxiliis petenda sit. Omnis mora, omnisque tardior, aut negligentior remediorum usus semper damnosus, saepissime exitialis erit.*“ — Dum itaque chirurgus ad aegrum symptomatibus herniae incarceratedae laborantem accersitur, oportebit, recta morbi diagnosi constructa, celerrime, ingenio sagaci, in herniae speciem, causam, ortum, strangulationis indolem, durationem, remedia fors iam adhibita indagare; nec immemor sit aegri aetatis, constitutionis, et complicationum fors praesentium. Ubi abdomen et tumor herniosus tactu dolorificus indicant partes, hernia et cavo abdominis contenta, phlogosi nondum correpta esse, necesse erit taxim iuxta artis leges expositas suscipere. Secundum A. COOPER tentamen hocce cautum per quadrantem im-

dimidiam horam continuandum erit, et reductione herniae non sucedente, praesente incarceratione praecipue inflammatoria in homine robusto, plethorico incisa vena copiosa sanguinis missio fiat, ac sub ingruente fors animi deliquio repositio tentetur. LANGENBECK ante tentamen repositionis venaesectionem instituendam svadet. Ubi et sanguinis evacuatio optato effectu destituitur, vel si pro ea, aut topica depletione indicatio non adsit, inprimis ubi incarceration naturae est magis spasticae, aeger impotatur in balneum tepidum, quod citissime parandum erit, et sub ipso insessu COOPER aliique reductionem feliciter peregerunt. SCARPA, DESOULT et LANGENBECK aegro balneum ante taxis tentamina exhibere commendant. Hernia nondum recedente, clysmata e herba Nicotiana in usum vocantur, tumor hennioso et abdomini superimponuntur cataplasma emollienti - narcotica, aeger ingrediatur de novo balneum tepidum, continentur clysmata atque tumor henniosus in incarceratione acuta et chronica congrue fomento glaciali tegitur. Venaesectio in balneo tepido secundum CHELIUM tantam saepe induxit partium relaxationem, ut repositio mox successerit. In incarceratione acuta remedia interne exhibita nihil prosunt, purgantia semper nocent; ast oleum ricini recens paratum insignes saepe praestitis effectus visum est. In incarceratione spastica ipecacuanha aliaque emetica dosi refracta, purgantia praecipue sal amarus cum oleis pinguibus et opio exhibita saepe profuerunt. Rust (*Zimmermann l. c. p. 23*) utplurimum Calomelam in connubio cum opio et moscho exhibere solet. In incarceratione stercoracea a foecibus induratis praeter remedia haec alvum ducentia et clysmata e herba Nicotiana, topice magis convenienter emollientia et semicupia tepida; ubi vero intestina a gaze extensa esse, suspicari licebit, plus prosunt fomenta frigida in abdomen et tumorem henniosum imposta. Ne vomitus nimis augeatur, aeger sub siti etiam intensa potu parco utatur. In universum notandum est, omnia ita disponenda esse, ut sub usu unius remedii de alterius præparatione iam solliciti simus. Si demum incarceration assiduo et solerti remediiorum internorum et externorum usui resistat, *operatio*, ut unicum salutis remedium, non erit differenda.

*Tempus operationi suscipienda
maxime favens.*

„Satis ardua verc est temporis determinatio, quo institui debet herniotomia; ut nec nimis mature fiat, cum a minoribus auxiliis adhuc aliquid exspectari possit, nec nimis diu cum maximo vitae aegri discrimine differatur“ (Calissen l. c. p. 576) Et certe si opera Chirurgorum praestantissimorum consulamus, quodnam sit illud temporis momentum? apparebit mox, illos uno quasi ore fateri Chirurgiam hodiernam illud perfectionis culmen nedum attigisse, ut id principiis quibusdam certis, casui omni individuali adplicandis, definire valeat; multiplici vero experientia comprobatum esse, tempore operationis iusto neglecto morbum vix non semper lethalem fuisse. Ideo viri hi zelosissime cupiunt, et in suis operibus omnes nervos eo intendunt, ut chirurgos de necessitate operationem iusto tempore instituendi persvadeant, convincantque. Sexcenta possem illustria huc facientia loca e scriptis doctrina et experientia clarissimorum virorum, Port (l. c. V. 3. p. 286) BERTRAND (*Traité des operations* p. 21.) WILMER (*pract. observ. on hernia* p. 75) RICHTER (l. c. p. 225) CALISSEN (l. c. p. 473) A. COOPER (l. c. p. 26) S. COOPER (l. c. T. II. p. 306) PELLETAN (*clinique chirurgicale* T. III. p. 49) ZANG (*Darstellung blutig. heilkünstlich. operatio.* T. 3. p. 400) aliorumque adducere; liceat mihi solum animadversiones RICHTERI pro tot aliorum adferre: „Quando mitiora remedia sedulo et dextere, ast incassum adhibita sunt, differenda non amplius est operatio. Quid enim spei superest, ut, quod primo die non praestiterint, id praestent postero? Increscit omni momento vehementia morbi, increscit vis illa, quae constringit partes prolapsas, increscit difficultas medelae, ut itaque, quae initio morbi, ubi facilior curatu morbus erat, nil profuerunt remedia, certe sub progressu morbi iam curatu difficilioris nil proderunt; superest hic operatio, tanquam unicum remedium, quod, ut iam differatur, nil est, quod svadet, cum ab hoc solo salus exspectanda sit, cum increscat omni momento periculum vitae.“ (Novi commentarii Gott. T. 2 p. 63) Justum vero herniotomiam instituendi tempus non dependet a duratione incarcerationis, cum nonnullae herniae incarcerated paucis horis lethales evadant, aliae septimanis

praeterlapsis reductionem admittant; sed incarcerationis indoles, symptomatum natura et vehementia, constitutio aegri et effectus per adplicita remedia iucti in ferendo gravissimo hocce indicio nobis sint duces, oportet. In incarceratione inflammatoria; hernia recenti, intestinali, parva, subito exorta; si aeger fuerit robustus, vegetus, tumor herniosus ob gravissimum dolorem alteriora repositionis tentamina non admittat, et symptomata, non obstante assiduo remediorum probatissimorum usu, intensitate increscant, operatio saepe ultra 12 — 18 horas non erit differenda. Nec diu cunctari licebit, ubi causam incarcerationis organicam supponere fas est. In incarceratione spastica et chronica minus quidem properare oportebit, sed ut primum phlogoseos aliqua observantur symptomata, mox ab omni repositionis tentamine desistendum erit. Hinc viri in arte expertissimi svadent: *ut omnis hernia incarcerateda nationali et assiduo remediorum probatissimorum usui resistens, in qua tensio abdominis (A. Cooper) et dolor, attactu in tumore hernioso aut abdomine excitantus, phlogosim partium prolapsarum iam iam imminente vel praesentem indicant, sive illa paucarum horarum sive plurium dierum fuerit, operationi subiiciatur.*

Opponitur his a multis, existere observationes, quae docent chirurgos his principiis adhaerentes, incarcerationem herniosam saepe gravi operationis periculo subiecisse, quam alii sub strenuo usu redemiorum aliorum, ut: antiphlogisticorum, antispasmodicorum etc. feliciter sustulerunt, siue hinc, ut, recte monente Rust, nostro aevo plures aegros operatio, quam incarceratione perirent. Has quidem observationes in dubium vocare non valemus, sed nec negari potest, longe plures factas fuisse observationes evincentes, hernias incarceratedas, iusto operationis tempore neglecto, non obstante cura, quae datur maxime rationali vix non semper interitu vitae, rarius alicuius organismi partis terminatas fuisse. Et certe, si perpedamus a priore nulla ratione nec illud temporis momentum, ad quod usque reductionis molimina, phlogosi partium prolapsarum praesente, tuto et absque gravissimo vitae aegroti discrimine continuari possunt, nec intensitatem processus vitalis uniuscuiusque aegri, nec gradum reactionis a strangulatione inducenda definiri posse, si porro respiciamus causas incarcerationis saepe esse organicas, hinc repositionis tentamine haud superandas; si denique consideremus laesioneim,

partibus inflammatione iam correptis per operationem inferendam, longe graviorem esse, quam ubi hae partes in statu naturali constituuntur; his itaque rite perpensis nec a ratione, nec ab experientia alienum esse videtur hocce assertum: *Semper praestare operationem iusto citius, quam iusto tardius suscipere.*

Ubi tamen enteritidis gravioris symptomata iam in conspectum veniunt, tumor herniosus antea tensus flacescit, pastaceus evadit, collabitur, livescitque, de operatione sermo amplius esse non potest. Tumor herniosus iam gangraenosus, ut omnis alia organismi pars gangraena correpta, tractandus erit.

Laesio arteriae epigastricae aut obturatoriae subinde inevitabilis, et hinc hoemorrhagia periculosissima vix sistenda, laesio item intestinalium a chirurgo fors infligenda, transitus denique non raro citissimus partium prolapsorum in gangraenam *operationis prognosim in genere dubiam reddunt.*

Herniotomia.

Herniotomia dicitur ea operatio chirurgica, qua tumor herniosus eo scopo inscinditur, ut partes prolapsae denudentur, viisque, quas remeare nequeunt, ampliatis reponantur, vel saltem a strictura molesta et periculosa liberentur.

Priscis temporibus hernias incarceratedas tractandi mos admodum rudis vigebat; anatomia enim pathologiae nullam lucem foenerante chirurgi ante seculum XVI. putantes, testem una cum protrusis visceribus eodem sacco contineri, sub herniotomia et testem extirpabant. Hanc crudelitatem chirurgi humaniores horrentes solum repositione, usu bracheriorum et remediorum adstringentium contentari maluerunt, et herniotomia cum lithotomia et operatione cataractae circumforaneis credita fuit; inter quos incolae urbjs Nursiae (*Norcia*) in statu pontificio, anno 1720 terrae motu deletae excellebant. — Primus fuit AMMOSIUS PARAEUS (+1590) *Francisci II-di et Caroli IX.* Galliae regum Archiater, qui castrationem superfluam in herniotomia damnavit. Eiusdem coaevus FRANCO (*Traité des hernies etc. Lyon, 1716*) dilatato annulo inguinali, et repositione incassum tentata, primus aperuit saccum herniosum, et re-

ductionem feliciter perfecit. Felix tamen hoc tentamen imitatores solum paucos est nactum. PICRAY et ROUSSET circa finem seculi XVI. proposuerunt, ut paries abdominalis anticus super tumore hernioso inscindatur; et inductis digitis partes elapsae in cavum abdominis retrahantur. Methodus haec periculosa, et minus secura merito reiecta fuit; exponit enim aegrum periculo gravis peritonitidis aut herniae ventralis subsecutae; quin repositio partium prolapsarum, ubi hae concretiones varias iniverunt, aut gangraena correptae sunt, possibilis et tuta sit; hinc methodus a Franco praeposita denuo invaluit, quae investigationibus et observationibus recentioris aevi anatomorum et chirurgorum zelosissimorum: A. COOPER, SCARPA, LAWRENCE, HESSELBACH patris et filii, LANGENBECK etc. varie modificata, et magis magisque perpolita fuit.

Totus *operationis ambitus* includit: 1-mo *praeparationem* necessariorum ad operationem, 2-do ipsam *operationem*, et 3-tio *curam posthumam*.

I. *Praeparatio ad operationem.*

a. *Apparatus instrumentorum*, quo refertur: scalpelum vel culter Bistouri dictus, convexus, — volvella anatomica, — specillum flexible, tenue, sulcatum et acuminatum, — culter (Bistouri) rectus apice acuminato, — specillum sulcato — alatum apice obtuso, — forfex recta apice obtuso vel alia rostriformis, — culter (Bistouri) rectus apice nodoso, — scalpellum, cui apex obtusus et paullum incurvatus, vel culter (Bistouri) Pottii apice nodoso provisus, quorum singulus laciniis emplastri adhaesivi ita circumvolvit, ut acies cultri tantum ad octo lineas versus apicem obtusum libera sit, vel scalpellum ad herniotomiam proprium (herniotomus) Rudtorfferii, aut Richteri aut Coroperi, — apparatus ad deligandas arterias et sistendam hoemorrhagiam, — compressorium Hesselbachii pro arteria epigastrica, — unci vel Arnaudii vel vulgares, — acus curvae, filis sericeis triplicatis cera obductis provisae — oleum, — aqua calida et frigida sufficienti quantitate, — spongia, — candelarum proprius apparatus, si operatio noctu institui deberet.

b. *Apparatus deligationis* coalescit: e lacinia, e linteo tenui, molli, et oleo recenti imbuta, — linteo carpto ma-

iore quantitate, — pluribus laciinis emplastri adhaesivi, — compressis, — pluribus plumaceolis, — fascia T formi, vel bracherio apto.

c) *Dispositio circa assistentes.* Horum quatuor aut quinque requiruntur, quorum unus firmat truncum et extremitates superiores, duo alii extremitates inferiores in situ debito tenent, quartus immediate operanti assistit, et, si quintus adfuerit, is instrumenta subministrabit.

d) *Situs aegri.* Emisso lotio, intestino recto evacuato, et crinibus in tumore abrasis, ubi deligatio fascia T formi firmatur, huius fasciae pars horizontalis circumvolvitur abdomini, perpendicularis vero reflectitur, ne sub operacione inficiatur; aeger dein facie luci obversus, parte corporis superiore et clunibus per supposita pulvinaria aliquantum elevatis, supra mensam non adeo latam, vel lectum transversim ita locatur, ut femora a se invicem divaricata cruribus parum inflexis de mensa vel lecto dependant, quae deinde a duobus assistantibus in hoc situ tenentur.

II. Operatio

a) Herniae inguinalis incarceratedae.

Haec sexduplici constat parte, nimiram: 1-mo incisione integumentorum communium, 2-do: denudatione et incisione sacci herniosi, 3-tio: tentamine partes prolapsas reponendi, 4-to: dilatatione annuli et cervicis sacci herniosi, 5-to: reductione partium elapsarum, 6-to: deligatione.

1. *Incisio integumentorum communium.* Cutis supra tumorem herniosum in plicam transversalem una parte ab operante, alia ab assistente elevata, scalpelli ope perpendiculariter inciditur; incisio haec tanta sit, oportet, ut inflicti vulneris anguli limites tumoris herniosi omnino excedant; quod si non fuerit, vulnus pro re nata iam superiora, iam inferiora versus, iam utrinque manu debite temperata dilatatur; si vero cutis ob tensionem et inflammationem in plicam haud elevari possit, indice et polliee unius manus chirurgi extensa caute inciditur. Hoemorrhagia ex arteria pudenda exter. oriunda per deligationem eiusdem facile sistitur. Circumspectione autem summa in hac operationis parte opus est, ne, si, quod quidem ra-

rum est, hernia sacco hernioso destitueretur, partes hernia contentae hac incisione laedantur, aut funiculus spermaticus, dum hic praecipue in hernia inguinali interna, in lateris exterioris parte superiore decurrit; quidpiam patiatur.

2. Denudatio et incisio sacci herniosi. Haemorrhagia coercita et investigato decursu funiculi spermatici ac situ testis, ut horum laesio eo certius praepediatur, tela cellulosa diversae crassitie, plures subinde lamellas sistens et saccum herniosum obtegens, in loco maxime seguro, ut plurimum inferiore, vel ubi sensus fluctuationis distinctissimus est, volsellae beneficio levata acie cultri semper lateraliter directa a sacco incidendo separatur; vel ut alii malunt: specillum sulcatum et acuminatum infra textum cellulosum protruditur, supra quod dein tela cellulosa cultri recti ope transcinditur. Haec encheiresis continuanda erit, donec saccus herniosus denudatus maiore aequabilitate, splendore, nec raro sensu fluctuationis a transparentibus intestinis dignoscatur. Memor tamen sit chirurgus saccum interdum esse tenuissimum, saepe plane abesse posse. Sacco hernioso denudato, ad partem inferiorem, vel in qua sensus fluctuationis distinctior adest, volsella caute elevatam, acie scalPELLi horizontaliter ducta, parva plaga aperitur, et super immisso dein indice manus sinistrae, vel specillo sulcate - obtuso forifice apice obtuso provisa, vel forifice rostriformi, vel cultro apice nodoso instructo vulnus per sacci longitudinem dilatatur. Cum facile pars quaedam in hernia contentorum inter cultrum vel forficem protrusa laedi posset, praestabit semper digitum immittere; huius ope mox dein et investigandum, an adhaerentiae adsint, quae digiti vel cultri opere solvendae erunt. Aperto sacco partes contentae cum aliqua vehementia in conspectum prorumpere solent. Sanguisluxus in hac operationis parte spongia, aqua frigida madida, diligentissime supprimatur, ut chirurgus partes incidentas clare dignoscere valeat.

Repositio sacci herniosi non aperti, quam nonnulli proposuerunt, neque semper possibilis, neque tuta est. In herniis vero inveteratis, voluminosis, stercoraceis, ubi partes prolapsae cum sacco concretione iunctae sunt, item in herniis recentibus, et incarceratione nuper exorta, dum cum probabilitate supponere licet annulum solam causam incarcerationis sistere, haec medendi ratio mini-

me reiicienda esse videtur, cum incisio sacci omni periculo non careat, et hernia una cum sacco recessente, saltem haud maiora pericula sequentur, quam si herniae reductio, antequam instituatur operatio, laxi succedat.

3. *Tentamen partes prolapsas reponendi.* Aperto, dilatatoque sacco hern. inquirendum erit, 1-mo: quaenam intestinorum pars sit prolapsa, 2-do: an illa morbosí quid offerat; an denique 3-tio mobilis sit. Dum partes prolapsae mobiles undique inveniuntur, ut facile extra abdomen protrahi, ac flatus, et excrementa contenta in abdomen propelli possint, dum a statu normali haud notabiliter recesserunt, apexque indicis digitii inter partes protrusas, et cervicem sacci herniosi haud difficulter immitti potest, mox leniter tentanda erit reductio, quae haud raro absque annuli dilatatione succedit. Dum vero partes prolapsae vel non ita constitutae sunt, ut supra diximus, vel ad canta repositionis tentamina non recedunt, absque mora ad quartum operationis actum transeundum erit.

4. *Dilatatio annuli et cervicis sacci herniosi perficitur vel incisione, vel simplici dilatatione.* Methodo posteriori, quae vel indice, vel dilatatorio proprio a *le Blanc* invento, vel denique unco plano fit, merito a plurimis practicis prior p^raeponitur. Incisio annuli et cervicis simul sacci herniosi totius operationis pars difficillima et periculosissima variat pro diversitate instrumentorum, quibus perficitur, et varia directione, qua instituitur. Partibus prolapsis tantisper protractis, et per assistentem depresso, ipse operans indicem manus sinistram, quantum fieri potest, in annulum inducit, et attracto cervice sacci herniosi haud inciso, scalpellum, cui manubrium firmum, et apex obtusus, et paulum incurvatus est, super partem volarem indicis infra annulum et cervicem sacci herniosi immittit ita, ut facies cultri cum parte volari indicis parallele decurrat, (*COOPER, ZANG, LANGENBECK, CHELIUS*), acieque nunc in annulum directa, et apice indicis pressa, manubrium scalPELLI elevando, pars annuli obvia una cum cervice sacci ad 2 — 4 lineas transcinditur; quo facto, index uberior in annulum et cervicem sacci propellitur, et incisio extenditur, usque dum satis ampla via ad reducendas partes elapsas pateat; quod dum sit, partes prolapsae aliis digitis retinentur, ne ab instrumentis immissis iniuriam patientur. Eodem scopo et alter culter curvatus, apice nodato planiore praeditus inservit, item culter Rud-

torfferi aut Richteri aut Cooperi pro incisione annuli. Varia alia ad incidendum annulum inventa instrumenta cum complicatione vix ullam utilitatis speciem habere videntur. Dum vero operans ob maiorem incarcerationis gradum indicem in annulum inducere non valet, specillum sulcato — alatum, superiora parum incurvatum oleo unctum inter partes protrusas et cervicem sacci immittit, manu sinistra interea partes prolapsas deprimens. Si specillum hoc loco vel ob adhaerentias, vel nimiam incarcerationem induci non posset, licebit illud in alterutro latere immittere, et dein ad locum incisionis deducere. Specilli congrue locati manubrium nunc paulum deprimitur, et protractis tantisper intestinis, scalpelli ope in sulco specilli ducti obvia pars annuli et cervicis sacci hern. inciditur. Interdum incisionem annuli et cervicis sacci herniosi mox sequitur liquidum supra annulum in abdome accumulatum, quo emissio reductio facilis succedere solet, interdum occurunt hydatides, quae intestinum mentiri possunt. *Gradus incisionis* in universum talis esse debet, ut faciliorem indicis in abdomen immissionem admittat. Maximi vero momenti operationis pars est *directio incisionis* annuli et sacci herniosi, quae ad evitandam laesionem arteriae epigastricae periculosissimam, pro varia herniae inguin. specie varie instituitur. Secundum observationes virorum expertissimorum tutissima haec methodus sequenda erit: in hernia inguin. externa, ut plurimum e situ funiculi spermatici cognoscenda, incisio annularis ad exteriora spinam ossis ilei anteriorem superiorem versus instituenda; in hernia inguinali interna ad anteriora umbilicum versus ducenda erit; in casibus vero quoad originem herniae dubiis, incisio recta superiora parallela ad lineam albam instituatur, ut haemorrhagiae periculum certius vitetur. Inciso annulo convenit mox indicem in abdomen immittere ad sentiendum, an altior stricture adfuerit, quae mox alteram incisionem dicto artificio peragendam poscit.

5. *Reductio partium prolapsarum*. Aperto ampliatoque annulo et cervice sacci herniosi indagandum erit: an status partium in hernia contentarum reductionem admittat? saepe enim 1. *concretiones*, 2. *circumvolutiones intestinales et omentales*, 3. *mutationes morbosae* et 4. *corruptio gangraenosa* partium prolapsarum reductionem dif-

ficilem, aut subinde impossibilem reddunt. Hinc concretiones indice per annulum dilatatum immisso detectae gelatinosae digiti ope, filamentosae autem acie cultri versus saccum herniosum magis directa solvendae erunt. Praesente sacci herniosi cum omento concretione partiali carnosa, omentum proxime ad locum concretionis cultro vel forifice rescindere oportebit. Ubi omentum maxima sui parte sacco hernioso adhaeret, illud usque cervicem sacci cultri ope solutum involvatur linteo tenui, cerato simpli- ci vel decocto emollienti imbuto, et stadio inflammatio- nis superato proxime ad annulum auferatur. Saepe omen- tum ante sui recessionem in abdomen felici successu re- cedere visum est. Dum autem incarceratione soluta sacco hernioso concretione carnosa intestinum adhaerere observa- tur, hocce in situ suo relictum linteis in decoctum al- thaeae immissis, saepiusque renovatis, obtegatur; experien- tia enim constat hanc intestini partem saepe sensim sen- simque in abdomen recessisse, alias papillis carneis ob- tectam cum integumentis communibus concrevisse. — Cir- cumvolutiones intestinales et omentales incarcerationem sustentantes evoluntur. Interdum intestinum sacco omen- tali ita involutum est, ut devolvi nequeat, quare omento media sui parte inciso intestinum reducatur. Portio in- testinalis prolapsa ante reductionem semper paululum ex abdomine attrahatur, ut locus a strictura compressus pa- teat. Non raro in hoc loco intestini lumen coaretatum invenitur, rarissime tamen adeo, ut sublata causa viribus naturae restitu non possit. Omentum in massam infor- men degeneratum in abdomen reducendum non erit, cum ad sui reductionem admodum amplam et hinc periculo- sam annuli incisionem posceret, reductumque inflamma- tionem, et suppurationem in cavo abdominis provocare posset. Hinc ad mentem virorum expertissimorum omen- tum tale supra locum degenerationis deligatum, infra ligaturam rescindatur; ac parte deligata in abdomen reducta filum ligatura ex parte firmetur. Haemorrhagia fors exorta deligatione vasorum facile sistitur. Observations enim copiosae in hominibus factae et experimenta in animali- bus suscepta docuerunt: omentum resciuum et deligatum, sanguisfluxu cohito, absque noxa in abdomen reduci pos- se. Nec sequendum erit consilium illorum, qui morbosam omenti partem in situ suo relinquere svadent, cum hac ratione haud leves turbae in functionibus ventriculi ob-

servatae sint. Omenti portio iam gangraenosa cautelis supra expositis forfice solvatur.

Viscerum prolapsorum inflammatio gravis, mutatio coloris in rubrum subfuscum, imminutio caloris animalis, aut vulnusculum intestinale errore chirurgi sub operatione forsan inflictum minime repositioni obstant, cum partium reductarum fatus ab halitu abdominali optimum remedium praebeat ad sanationem naturae viribus peragendam. Non desunt tamen auctores, qui cautelae ergo partem intestini suspectam et in abdomen reductam ope fili per mesenterium traducti proxime ad aperturam abdominalem retinere student, ut si pars intestini corruptione gangraenosa destrueretur, foecibus liber effluxus procuretur.

Ubi vero defectus splendoris, color rubro-fuscus, consistentia pastacea et spontanea aut leni contactu exorta desquamatio membranae intestini externae partium prolapsarum gangraenam indicant, reductio discriminis plena nunquam tentetur; sed si gangraena minorem intestini portionem occupet, haec lanceola incisa et filo interim per mesenterium ducto in vicinia annuli detineatur. Gangraena autem totam intestini diametrum sive integrum ansam amplectente gangraenosum omne cultro auferratur, cum per praegressam phlogosim intestinum in ambitu corruptionis gangraenosae cum vulnera externo concrecat, et sic effusio excrementorum in cavum abdominis impediatur.

Omnibus, quae repositioni obstarere possent, ita remotis, ipsa *reductio* partium prolapsarum *sic peragitur*: posito nempe aegro in tali situ, ut musculi abdominales relaxentur, protractaque paululum ex abdomine portione prolapsa, ultima pars egressa, et deinde quae restant, utriusque manus indice oleo blando imbuto alternatim in ea agente, ad canalis directionem sc. in hernia inguin. extrorsum sursumque anteriorem cristae ossis ilei spinam versus; in hernia vero inguinali interna recta propemodum ab antica parte retrorsum sursumque lente et absque omni violentia in abdominis cavum reprimuntur, primum mesenterium et intestinum, dein omentum reponendo. Partes autem elapsas pristinam recuperasse sedem cognoscitur, si post repositionem digitus in abdomen immisus libere circa vulneris interioris marginem moveri possit.

6. *Deligatio.* Vulnus eiusque vicinia a sanguine sponsia aqua imbuta mundatur, et linteo tenui oleo blando madido obtegitur, cui linteum carptum mollius striis emplastri adhaesivi in situ sigendum iniciatur; his super imponuntur splenia crassiora, quae omnia fascia T formi modice adstricta firmantur. Reunio labiorum vulneris ope striarum emplastri adhaesivi, aut suturae cruentae vix unquam succedere solet. Deligatione rite peracta aeger in lectum locatus horizontalem decubitum in dorso observet, est necesse.

b. Herniae cruralis incarceratae.

Praeparatio ad operationem herniae cruralis incarcerae eadem est, quae paulo ante in operatione herniae inguin. incarcerae exposita fuit.

1. *Incisio integumentorum communium* ab ea in herniotomia inguinali solum quoad directionem differt, haec sc. sit obliqua ab extus interiora et inferiora versus cursui ligamenti Poupartii respondens. Alii auctores in primis COOPER cruciatam incisionem svadent, quae tamen in omni casu versus spinam ilei anteriorem superiorem et symphysis ossium pubis ultra tumorem herniosum medio pollice producenda erit.

2. *Denudatio et incisio sacci herniosi.* Incisis integumentis communibus textus cellulosus et massa adiposa hic loci in primis in obesis notabilis non secus, ac in hernia inguin. aufertur; attendendum solum, ut glandulis inguinalibus, quae sub hoc opere occurront, quantum res concedit, parcatur, eas ad latera deprimendo; transcinditur dein secundum vulneris longitudinem fascia superficialis, et saccus herniosus denudatus aperitur, dilataturque simili ratione ei, quam in hernia inguinali adduximus. Memor quoque sit chirurgus saccum herniosum saepe abesse posse. Incisio vero sacci herniosi summam poscit circumspectionem, cum semper fluidum parca quantitate, et saepissime intestini exiguum ansam absque omento contineat.

3. *Tentamen partes prolapsas reponendi* etsi in hoc herniae genere rarissime succedat, simili ratione ac in hernia inguin. peragenda negligi nunquam debet.

4. *Dilatatio partis incarcerantis.* Cum incarceratio in herniis cruralibus vel 1-mo ab annulo crurali anteriore, vel 2-do posteriore, vel 3-tio a fibris fasciae iliaceae an-

terioris inducatur; hinc et haec operationis pars pro diversitate partis incarcerantis variat.

1-mo. *Incarceratio ab annulo crurali anteriore.* In sulco specilli vel super partem volarem indicis immittitur herniotomus, et eius ope cornu superius annuli cruralis anterioris ab ante postrорsum inciditur, ita, ut incisio crus externum annuli inguin. ant. haud attingat; si tamen haec incisio nondum sufficeret, licebit eam ultra producere.

2-do. *Incarceratio ab annulo crurali posteriore.* Huius incisio ob facillimam laesionem arteriae epigastricae aut obturatoriae periculosissimam herniotomiae cruralis constituit partem, hinc a variis auctoribus varia eam perficiendi methodus proposita fuit.

a. *In sexu sequiore* immittatur index manus sinistrae aut specillum intra cervicem sacci herniosi, et partes prolapsas in abdomen, et inducto, ratione iam exposita, cultro margo anterior annuli cruralis posterioris sectione interiora superioraque directa incidatur.

b. *In maribus.* Ut funiculo spermatico parcatur, specillum in latere interno sacci herniosi inducatur, et cultro margo anterior annuli cruralis posterioris (aliis ligamentum Gimbernatii) proxime ad insertionem in cristam ossis pubis horizontaliter introrsum, vel rectius oblique deorsum ad 2—3 lineas incidatur.

c. TRÜSTEDT (*Über die Vorzüge der Ausdehnung vor dem Schnitte bey der Operation des eingekl. Schenkelbruches. In Rust's Magazin T. III. p. 227.*) ad evitandam laesionem arteriae epigastricae aut obturatoriae sectionem annuli damnat, et dilatationem potius eiusdem ope unci Arnaudii, et indicis instituendam commendat, quam et Rust saepius felici effectu perfecit. — Ast, cum per methodum sub a et b expositam laesio arteriae epigast. et obturat. minus tute vitetur, et methodus sub c adducta aegrum periculo redeuntis herniae exponat, neque in omni casu scopo respondeat, cum praeterea enchiresis a Hesselbach licet ut tutissima divulgata in primis in subjectis obesis magnis prematur difficultatibus; hinc methodus a SCARPA, DUPUYTREN, et LANGENBECK commendata caeteris palmam merito eripere videtur, quae sequenti ratione instituitur: ubi saccus herniosus usque ligamentum Poupartii dilatatus est, index manus sinistrae supra partes prolapsas in abdomen eosque inducatur, ut apex digitii

ultra marginem anticum annuli cruralis posterioris penetret; superficie apicis indicis volari situs vasorum pulsatione arteriosa dignoscendus exploratur, simulque vasa forsitan deprehensa, et laxo textu celluloso ligamento adhaerentia superiora dimoventur. Super partem volarem indicis sic locati herniotomus vel Richteri aut Coroperi aut alter his similis infra annum et cervicem sacci herniosi immittitur ita, ut facies cultri ad partem volarem indicis parallele decurrat. Ubi herniotomus apice nodoso processum falciformem post se reliquisset, stylus eiusdem ab extus introrsum ita vertendus erit, ut acies cultri cornu antico annuli cruralis posterioris recta opponatur, quod nunc parte volari indicis cultrum premendo sic inciditur, ut incisio premendo, nequaquam vero trahendo perficiatur. Index immissus dein ultro promovetur, eiusque auxilio, si sectio non sufficeret, dilatatio ulterior peragitur.

3-io. Ubi *fibrae fasciae iliaca anterioris* in hernia inguinali externa incarcerationis causam constituunt, margo aperturae superior, detractis paululum partibus prolapsis, superiora versus ligamentum inguinale usque inciditur.

4-to. *Reductio partium prolapsarum* demta directione eadem prorsus enchiresi ac in hernia inguinali perficitur; partes sc. egressae in herniis cruralibus minoris voluminis a parte antica retrorsum sursumque reprimuntur, in maioriibus vero pressio a parte antica retrorsum eosque instituitur, donec sacci herniosi maxima pars recesserit, quo facto eadem sursum dirigenda erit.

5-to. *Deligatio* similis est ei, quae in hernia inguinali exposita fuit.

Sub herniotomia inguinali et crurali hae subinde locum habent *calamitates*: 1-mo laesio intestinorum, 2-do: funiculi spermatici, et 3-tio: arteriae epigastricae inferioris, obturatoriae aut circumflexae ilei; quibus sic occurrendum erit. Vulnusculum intestinale errore chirurgi sub operatione forsitan inflictum repositionem, ut supra monuimus, non prohibet; attendendum solum, ut pars laesa intestini ope fili per mesenterium traducti in vicinia vulneris detineatur. Laesio arteriae spermatica utriusque, aut ubi unica est huius solius, aut vasis semen deferentis extirpationem testis sine mora suscipienda poscit. Sanguifluxus ex laesa arteria spermatica vel deligatione eiusdem, vel fomentatione aqua frigida instituta mox sisti potest.

Arteria epigastrica aut obturatoria laesa gravissimam patit haemorrhagiam, interdum effusione sanguinis in cavum abdominis cito lethalem, ad quam sistendam auctores variarunt, ut inductionem agarici, aut turundarum remedii stipticis imbutarum, deligationem arteriae denudatae aut totius strati eam circumdantis proposuerunt; his tamen omnibus merito palmam eripit instrumentum proprium a HESSELMACH (filio,) communicatum. Effluxus sanguinis per huius instrumenti cruris cochleariformis sulcum in abdomen inducti praesentiam haemorrhagiae ex arteria laesa docet, ad quam cohibendam hoc crus instrumenti ad locum laesae arteriae, aliud crus vero ad superficiem parietis abdominalis anteriorem applicatur, utrumque deinde ope cochleae sibi ita approximat, ut pressio sufficiens in arteriam laesam exeretur.

III. Cura posthuma.

Operatione rite peracta aeger supinus pectore pelvi-que horizontali, genibus vero paululum attractis locatus quietem observet strictissimam, potu emollienti mucilaginoso et cibo parco tenui utatur. Reductionem partium alvi evacuatio semper optata, ut plurimum insequitur; quod ni inter 12—18 horas contingeret, haec sumto laevi quodam laxante, ut: mixtura oleosa, in primis ex oleo ricini et enemate simili, aut muriate hydrargyri miti sollicitanda erit. Ubi nulla phlogoseos viscerum abdominalium conspiciuntur symptomata, mixturae oleosae congrue sal annarus additur. Deligatio, nisi circumstantiae inopinatae aliud svaderent, tertia primum die, simili prorsus ratione, ac facta fuit, renovanda erit, nec unquam mediocris pressio in aperturam abdominalem negligatur. Vulnera sanato bracherium iterum applicandum erit, cum aegrotus hac operatione ab incarcerationis periculo, minime vero a herniae metu liberatus sit, haud diffitendum tamen herniotomiam interdum radicalem sanationem sequi. Symptomata inflammationis abdominalis post operationem perdurantia, aut exorta methodum antiphlogisticam adhibendam poscunt.

T h e s e s.

1. Praestat herniotiam iusto citius, quam iusto tardius suscipere.
2. Gonarthrocace a tumore albo genu morbum sistit distinctum.
3. Natura deficiente irrita sunt omnia.
4. Motus corporis princeps sistit educationis physicae momentum.
5. Empyria mera purae speculationi praestat.
6. Nullum datur narcoticum absolute sedans.
7. Nulla pulmonum docimasia omnibus numeris absoluta.
8. Chirurgia bene tractata pene divina moliri valet.
9. Sola operandi dexteritas chirurgum minime constituit.
10. Infarcetus abdominales morborum uberrimus fons.
11. Herniotomia scopo curae radicalis herniae mobilis non est commendanda.